





No: III.

Quod Felix Faustumquod sit!

1686, 11. 9. 17  
422:

DISPUTATIONEM JURIDICAM

DE FILIO, SUB  
CONDITIONE, SI SE  
FILIUM PROBAVERIT,  
HEREDE INSTITUTO,

ad l. Lucius 83. de Cond. & demonstr.

SUB PRÆSIDIO

Dn. Dr. CHRISTIANI THOMASII,

Præceptoris sui venerandi,

publicè ventilandam  
proponit

PETER JOHANN Dehnsen /  
Guelpherbyt.

Autor.

Ad diem VIII. Aprilis MDCXXCVI.

H. L. Q. C.

---

LIPSIÆ  
Literis JOHANNIS GEORGI.



Deutschlands  
Dictionarium  
DEUTSCHLANDS  
CONDITIO  
HISTORICARUM  
HERBARIUM  
HERBARIUM  
DIDACTICUM  
PETER JOHANN

AD TITULUM ABBE MDCCXXCI.

H V O C

LVR

Universitätsbibliothek



## PRO O E M I U M.

**Q**ui de sterilitate materiarum juridicarum, in quibus ingenii sui vires exerceant, conqueruntur, eos profecto, ut alia jam taceam, Pandectarum Justinianearum evolutionem superfunctioniē & non exactā, quā decebat, diligentia suscepisse dicendum est. Quamvis enim myriades ferē Commentariorum extent, Pandectarum titulos illustrare aggredientium, ferē tamen inter desiderata Jurisprudentiæ Justinianeæ numerari debet, quod non habeamus Commentatorem singulas Pandectarum leges, in quibus magnus profecto Jurisprudentiæ thesaurus absconditus latet, diligenter & cum judicio explicantem. Ut enim Glossatores antiqui iudicio & mediis leges Romanas exponendi fuere destituti, ita noviores ferē non afferunt indefessam diligentiam, sine quā hac parte nihil quod satisfacere possit, poterit effici. Non committam mendacium, si dixero inter novem millia centonum, ex quibus circiter Pandectarum Volumen constat, multa millia legum extare, in quibus exponendis JCtis Eximiis vitio non sit vertendum, si aliquantisper hæsitant. Ita sæpius concisus stylus obscuritatem peperit, ita non rarō rationes decidendi longius petitæ sunt vel planè occultatæ. Nam & in istis legibus, quvarum sententia se primo statim intui-

tu insinuat, non deest, qvod meditationes ulteriores m-  
reatur. Qvapropter arbitratus sum etiam in unius le-  
gis, etiam in perspicuæ legis, qvalis est hæc Pauli, qvam  
præsenti Disputatione illustrare aggredior, expositione  
specimen Studiorum Patronis meis me posse edere; in qvâ  
non puto, improbatum iri, qvod leges ex ipsis legibus de-  
clarare instituerim, & ita sæpiùs loco locorum ex Docto-  
ribus excerptorum, integras leges Veterum JCtorum,  
aut integros pargraphos apposuerim. Nemo enim,  
credo, Theologum vituperat, qvod Verbis Scripturæ  
magis uti soleat, qvâm verbis Patrum, aut Homiliarum  
in Evangelia. Ergò Faxit DEUS Feliciter.

## CAP. I.

### De Autore Legis.

#### SUMMARIA,

**J**ulius Paulus utrum Patavinus fuerit, an Grecus? th. 1. 2. 3. 4. Ejus  
Præceptores th. 1. Exponuntur l. 4. §. 3. de penu legata th. 3. & l. 17.  
de except. th. 4. Quam sc̄tam Paulus fuerit secutus & de ejus laudibus  
th. 5. Ejus studium contradicendi th. 6. & obscuritas th. 7. Quid diffe-  
rant reþponsa Juris Consultorum ab eorum questionibus th. 8. Verba  
legis nostræ th. 9. Connexio sequentium th. 10.

#### §. I.

**I**ulius Paulus a) legis nostræ autor est, Patavinus patriâ, ut ex  
Inscriptione ab Eberlino b) & Henelio c) recensitâ & communi  
Doctorum sententiâ demonstrari potest, contra quam tamen mul-  
tis rationibus insurrexit Bertrandus d) probare volens, Paulum no-  
strum Tyrium fuisse, vel certè Græcum Pauli Tyri filium, quem  
Suidas scribat Hadriani temporibus fuisse Oratorem, qui cum lega-  
tionem Romæ egisset sub Hadriano, metropolin Tyrum efficit.  
Conjectatur igitur Bertrandus fortè uxorem hujus Pauli Tyri in ea  
lega-

legatione Patavii Paulum enixam esse & inde Patavinum suum esse Paulum Jctum contendisse. Ast vereor magnopere hanc Bertrandi conjecturam posse subsistere. Constat enim Antoninum Pium Hadriani Successorem anno post Christum natum 138. vel ut alii numerant anno 140. ad Imperium pervenisse, e) nostrum verò Paulum Papiniani fuisse discipulum f) ejusque cum Ulpiano sub Severo Imperatore, qui imperii habendas anno 195. suscepit g) affessorem, b) quin & Imperatorem Alexandrum anno 224. i) solium imperiale consendentem Pauli consiliis fuisse usum k.) Non probabile verò est Paulum circiter Sexagenarium Papiniani affessorem fuisse & ferè nonagesimum atatis annum attigisse. Quod si insuper id verum esset, eum fuisse discipulum Papiniani, necesse foret, eum quadragenario vel etiam quinquagenario majorem Scholas Papiniani frequentasse. Sed non immerito Lampridium deceptum & Paulum Papiniani potius aequalē quam discipulum fuisse opinatur Cuiacius l.) Scævolæ potius discipulum fuisse Paulum exinde conjicere licet, quod sapis m.) Scævolam Nostrum appellat. Floruit autem Scævola tempore Antonini Philosophi & Severi Imperatoris Praeceptor fuisse traditur. n.) Dicte equidem Glandorpius o.) quod Paulus Javolenum appellat Praeceptorem suum, sed hoc præterquam quod à Glandorpio locus Pauli non allegetur, haud probabile est, cum Javolenus vix Antonini pii tempora attigerit p.)

- a.) ita appellatur leg. 81. de cond. & demonstrat. l. 22. ad L.
- Falcid. b.) de orig. Jur. c. 52. n. 20. p. 508. c.) de Veter. J. Cris c. 29. p. 159. d.) de Jurisper. lib. 1. p. 140. seq.
- e.) vid. Alsted. Chronol. cap. 19. p. m. 190. f.) El. Lamprid. in Alex. Severo c. 68. g.) Alsted. d. l. h.) ut ipse tradit in l. leſta. §. dicebam ff. de reb. cred. i.) Alsted. ibid. k.) quod ipse Bertrandus p. 144. ex Sexto Aurelio Vitio obſervat l.) in proœm. ad comment. in quest Pa- pin. m.) l. 38. §. fin. de vulg. & pup. Subſt. l. 56. §. 3. de jure dot. n.) vide Bertrand. d. l. 1. p. 104. seq. o.) in Onomastico Romano voce Pauli p.) Bertrand in Fabo- leno d. l. 1. p. 74.

§. 2. Quæ ulterius contra Patavinitatem Pauli profert Bertrandus a.) in his punctis consistunt i. quod in Syntaxi Latinarum

vocum aliorum consilio usus sit & proprietatem Latinorum verborum ignoraverit, 2. quodque Græcas artes in explananda Juris Civilis scientia attulerit, & dictiones Latinas per verba Græca explicuerit, unde & ab Hottomanno b.) homo Græcus dicatur. Sed quemadmodum posterius non stringit, quia & Romani Græcarum literarum tūm temporis non erant imperiti, & Hottomannus Paulum magis vituperandi animo Græcum appellat, quam indicandi eius Patriam, c.) ita prius illud magis aliquid in recessu habere videtur, cum non verisimile sit latinum hominem & doctum dictiōnum latinarum vim non calluisse. At nondum probavit Bertrandus hanc Latini Sermonis ignorantiam in Paulo.

a.) d. p. 140. seq. b.) de verbis juris in voce abalienare c.) conf. infra §. 6.

§. 3. Provocat equidem ad duos Pauli textus in quorum uno a.) Paulus narrat sibi traditum esse, nomen penus omnibus generibus dici, in altero b.) verò, Servitutes corpora appellat, ex quorum illo infert, Paulum in Syntaxi Latinarum vocum aliorum consilio fuisse usum, ex hoc autem, quod ignoraverit proprietatem verborum latinorum. Sed non deest tamen quod & hīc Bertrando obīci possit. Non utar illā responsione; Paulum dum notat: nomen penus omnibus generibus dici, hoc voluisse: sub voce penoris non contineri certum genus esculentorum & potulentorum, sed omnia genera quia esui potuique sunt, ut Ulpianus c.) dixit, vel ut Cicero d.) penum esse omne id quo vescuntur homines: e.) neque enim præsumendum esse JCTum tam eximium scholica nugalia, ( licet haec tenus cum Gellio f.) loqui ) de generibus vocabulorum decisioni questionum de Jure controversarum voluisse immiscere, præprimis cum penus in toto isto titulo à Paulo, Ulpiano, Marciano atque Scævola perpetuo in genere scemino usurpetur. Nam valde dubito an præcedens expositio quadret ad mentem Pauli. Non dixit: penum de omnibus generibus dici; Sed nomen penus dici omnibus generibus, quæ phrasis aperte indicat eum genus vocabuli habuisse in mente. Ut enim taceam, Pomponium alibi g.) dixisse: omne penum in genere neutro, juvat apprimè hanc coniecuram locus Gellii h.) Ostentabat quispiam Grammatice rei Dōtor Scholica quædam nugalia de generibus & casibus vocabulorum

rum differens cum arduis superciliis vocisque & vultus gravitate cōm̄  
positā ianquam interpres & arbiter Sibylle oraculorum : Tum aspici-  
ens ad Favorinum - Penus quoque, inquit, variis generibus di-  
ctum & variè declinatum est. Nām & hoc penus & hac penus &  
bus peni & peneris & peniteris & penoris veteres dicit averunt -- at-  
que omnium horum & testimoniis & exemplis constrepebat. Qūn-  
que nimis odiosē sibi placaret, intercessit placidē Favorinus : & jam bo-  
ne, inquit Magister, abundē multa docuisti, quae quidem ignorabamus  
& scire haud sanē postulabamus : Quid enim refert mea, ejusque qui  
cum loquor, quo genere penum dicam, aut in quas extremas literas de-  
clinem, si nemo id non nimis barbare fecerit, &c. i.) Agnoscis hic  
eandem locutionem Grammatici cum Paulo. Sed suppeditabit  
nobis simul locus Gellii responsionem adversus Bertrandum. Quam-  
vis enim haud quamquam laudans propterea Paulus sit quod  
Grammatica ista inseruerit questionibus gravioribus, propterea ta-  
mē nec pro homine Græco haberi debet, quod ab aliis sibi tra-  
ditum sciebat, nomen penus etiam in generibus foemino & neu-  
tro dici, non magis atque Philosophus Favorinus, qui istas subtili-  
tates etiam se ignorasse profitebatur apud Gellium, præprimis cum  
ex allato Gellii loco constet istam penoris prædicationem jam tūm  
antiquis potissimum fuisse in usu, atque adeò temporibus Pauli  
multo magis ad antiquatas fuisse referendas.

- a.) l. 4. §. 3. de penu legatā b.) l. 17. de except. c.) l. 3. pr.  
de penu legatā d.) lib. i. de nat. Deorum e.) ita et-  
iam Paulum exponit Glossa ad d. l. 4. §. 3. de penu legata  
f.) lib. 4. Noñ. Att. c. i. g.) l. 2. pr. de penu leg. h.)  
d. l. i.) plura sequuntur ap. Gellium d. l. ad expositionem  
tituli ff. de penu legata omnino facientia, sed que bic per se-  
qui nostri institui non est.

§. 4. Quod alterum textum Pauli attinet, hæc sunt eius ver-  
ba: a.) Si ante viam, deinde fundum Titianum petat, quia & diversa  
corpora sunt & causa restitutionum diffares, non nocet exceptio  
Hic etiā non diffitendum sit, abusivē vocem corporis prædicari de  
via seu servitute, posset tamen pro excusatione Pauli afferri, eum  
per diversa corpora diversas res intellexisse ad imitationem Stoico-  
rum quibus corpus erat Synonymon entis b.) Minime autem  
opus

opus erat ut ex hoc textu concluderet Bertrandus , Paulum ignorasse proprietatem verborum Latinorum , aut putasse Servitutes esse corpora . Nec fecisset credo , si alium locum Pauli inspexisset : *Servitutes, inquit, c.) p̄ aditorum rusticorum etiam si corporibus accedunt, incorporales tamen sunt.* Nihil ergo remanet quod nos movere possit ut ab opinione communi , qua Patavium facit patriam Pauli , recedamus . Nam etiam si conjecturas omnes , quas adduxit Bertrandus , concederemus , nescio tamen , annon eas omnes viatura sit , quam eidem possemus obiecere , non verisimile esse , Paulum , si Græcus fuisset , è tot libris , quos reliquit , reliquit verò quamplurimos , in tantum ut hac parte ipsum Ulpianum superaverit , d.) nullum in lingua Græcâ tanquam patria conscripsisse .

a.) l. 17. de except. b.) vide Lips. Phys. Stoic. c.) l. 14. p̄. de Servit. d.) vid. Ebert. d. l. p. 509. Henel. d. l. p. 151.

§. 5. Proculianorum an Sabinianorum secta addictus fuerit Paulus noster , hic non definiam . *In id Paulum & Ulpianum laborasse dicit Emundus Merillius a.) ut quasi erciscundi utramque sectam mediis sententiis conciliarent , vel ut alterutram Sectarum sententiam Imperatorum rescriptis confirmarent -- .* Paulus medius fuit inter Proculum & Cassium b.) Ulpianus inter Labeonem & Sabinum c.) *Quedam etiam mediae Pauli sententie jam ab aliis fuerunt observata & adhuc observari possunt.* Quemadmodum ipse Merillius eiusmodi medianam inter Proculum d.) Sabinum e.) & Africatum f.) Pauli g.) Sententiam de amittenda possessione ob factum Servorum aut Colonorum nostrorum , observat alibi . b.) Quod si tamen dicendum quod res est ; Paulus in nullius magistri verbi iuvavit , sed modo Proculo i.) favit , modo Sabino . k.) libertatem vide- licet sibi retinens sentiendi , quod sibi cum ratione conveniens videretur , & dissentendi à quo . etiam à Praeceptoribus suis , etiam ab Imperatoribus l.) sed modestè tamen unde , potissimum dum ab Ulpiano dissentit eum non nominat , sed voce *quidam* , vel *ille m.)* &c. uititur , quin imò non dissimulat , sed ingenuè fatetur , ubi vel advocando n.) vel sententiam ferendo o.) succubuerit , ubique laudabili instituto , unde & ab Imperatoribus magni habitus ac variis officiis decoratus fuit , eiusque communiter à Scriptoribus honorifica injicitur mentio . p.)

a.) l.

- a.) l. i. obs. 6. pag. m. 12. b.) l. illud 40. ff. de heredit. petit.  
 c.) l. si finita 15. §. illud 32. ff. de damn. inf. d.) l. cum  
 quis 31. de dolo malo e.) l. si colonus ff. de A. & A. P.  
 f.) l. 40. ff. cod. g.) l. 3. §. 8. & 9. h.) d. l. i. obs. 7.  
 i.) l. ii. §. 1. de reb. cred. k.) l. 2. §. 2. pro emtore. l.)  
*Bertrandus, Henelius, Eberlinus dd. ll. m.) vid. dd. Auto-*  
*res dd. ll. n.) vid. l. 78. §. 6. de legat. 3. & Henel. d. l.*  
*p. 152. seqq. o.) l. 97. de acq. hered. ubi secundum Papi-*  
*nianum prouinciauit Imperator p.) vide dd. Autores*  
*dd. ll.*

§. 6. Graviter tamen ab Hottomanno a.) increpatur, dum eum hominem Græcum, b.) litigiosum, naturā controversum & hostem antiquis Jctis nominat, quæ increpatio an ex meritis causæ fuerit, quam ibidem tractat Hotomannus, ipse viderit Nævis qui busdam laborasse Paulum, non est negandum, interque eos non minimum fuisse studium contradicendi nimium, sepius affectibus magis suffultum quam rationibus prægnantibus. Omnino enim ex diligentí trutinatione centonum, quos nobis in Pandectis reliquit non magnoperè laudabilis Tribonianus diligentia, cuivis patebit, maximam emulationem inter Paulum & ejus commilitonem Ulpianum fuisse, quæ in tantum aluit studium à se invicem dissentendi, ut ferè pignoribus pretii non contempnendi certare ausim, ex centum controversiis ab utroque tractatis vix decem ac ne vix quidem ostendi posse, in quibus amicè conspiraverint, ut adeò vel ex solis Pauli & Ulpianitextibus infinitæ colligi possint antinomiae, quibus conciliandis omnes, non dicam Glossæ, & eorum, qui conciliacionum libros scriperunt, sed omnium quotquot unquam fuerunt, aut extituros unquam vel sperare vel timere jubet seculi genius, Metaphysicorum distinctiones non sint sufficiunt. Quamvis verò hic Ulpianum ab omni culpa liberare nolim, magis tamen vituperandus vel ideo Paulus erit, quod aurei sui dicti, quod aliquibi c.) inculcat, (non oportere jus civile calumniari, nec verba captare, sed qua mente quidque diceretur, animadvertere convenire) frequenter immemor, magis sequi solitus fuerit jus strictum & verba regularum juris, cum Ulpianus contra magis inclinaverit ad rigorem verborum ex equitate & benigna humanitate temperandum d.)

B

a.) de

a.) de verbis juris in voce abalienare b.) conf. suprà §. 2.  
c.) l. pen. ff. ad exhib. d.) Henel. d. l. p. 151.

§. 7. Ulterius cum Ulpianus usus fuerit orationis genere eleganti quidem sed facili & prolixo, Pauli verò stylus sit paulo accutior & brevior, inde evenit, ut Ulpianus sibi ipso pro interprete esse possit satis perspicuo, Pauli verò leges tanquam obscuriores & difficiliores magis indigeant explicatione. Bertrandus a.) ejus universas leges ita obscuras, ambiguas, verborumque tenebris involutas esse judicat, ut, quod de Chrysippo Cicero b.) scripsit, de Paulo dicere verissimè possimus, eum totum hoc volumen implevisse oraculis flexiloquis & obscuris, ut interpres egeat interprete, & fors ipsa referenda sit ad sortes. Notus est versiculus de legibus, quas propter difficultatem explicandi Doctores damnatas appellarunt:

Damnetur Gallus c.) damnetur Filius d.) Ejus e.)

Damnetur Frater f.) damnetur Lectaque g.) Mater h.)

Ex his ultimæ duæ sunt Pauli nostri, de quarum priore communiter dictum fuit, quod sit *lex lecta à multis, sed à paucis intellecta*. Merebatur vero his damnatis legibus accenseri adhuc tertia ejusdem Pauli i.) in cuius expositione non minus ob cius ambiguitatem Dd. sudarunt. Non potuit sibi temperare Raphael Fulgoius, Vir alias tam acris ingenii, ut primo anno, quo iuri cœpit incumbere, intra domesticos parietes jura interpretari & disputare ausus, & postea ad munus publicum admisitus, singulis annis viginti quatuor Pandectarum libros expōnere fuerit solitus, k.) quin istius legis occasione in hac verba eruperit: *Si benè non intellexisti textum, cum legetis ter & quater & sonabit vobis, sic enim est mos Pauli, & si haberem eum in manibus, eum per capillos interrogarem.* — *Iste maledictus Paulus ita obscurè loquitor ut vix possit intelligi.* l.)  
a.) d. l. p. 143. b.) de Divinat. c.) l. 29. ff. de lib. & posib.  
que est Scavole d.) l. 24. C. Familia excise. Diocletiani &  
Maximiani e.) l. 41. de reb. cred. f.) l. 38. de tond. indeb.  
barum duarum Autor est Africianus g.) l. 40. de reb. cred.  
h.) l. 19. ff. de inoff. test. i.) l. qui repudiantis 17. de querel.  
inoff. k.) vide Guidum Pancirollum, de claris legum interpreibus lib. 2. c. 83. p. m. 223. l.) vide Struv. Exerc. 10. ad  
Pand. th. 26.

§. 8.

§. 8. Non sine ratione itaque Jacobus Cujacius acutissimi ingenii Juris Consultus, Pauli leges peculiari tractatu explicare aggressus est, sed exhibuit saltem orbi literario expositionem eorum fragmentorum quæ de Pauli commentariis ad edictum & quæstionum libris triginta tribus supersunt, libros responsorum tres & viginti, ex quorum duodecimo desumpta est lex nostra, non attigit. a.) Ceterum non infrequens fuit JCtis aliis libros responsorum scribere, eosque separare à libris questionum, de quorum differentia hæc tradit Cuiacius b.) Questiones sunt uberes quidam ipsig, diffusæ tractatus juris; responsa sunt tanquam oracula admodum brevia. In questionibus doctoris, in responsis Jure Consulti munere fungebantur; responsa reddebantur Consultoribus (intelligo de casibus in ipsis rerum argumentis occurrentibus) questiones petentibus (regulariter) non reddebantur, sed proponebantur autoris arbitratus, (vel aliquando reddebantur amicis de jure super casibus fictis consulentiis;) denique in questionibus electio est juris autoris, in responsis aut responsorum causis electio est ejus, qui rogat aut consultit juris autores. Quæ differentia videtur nobis, etiam accommodari posse ad libros questionum ac responsorum, quos scripsit Paulus, si modo quis cum lege nostrâ saltem alias duas Pauli leges ex questionum eius libris desumtas & à Tribonianu sub eodem titulo collocata, c.) contulerit.

a.) Ita quidem putavimus, sed elaboratâ disputatione inspiciennes novam editionem operum Cujacii, deprehendimus etiam Tomo tertio posteriorum Commentationem ad libros responsorum Pauli. Quamvis verò ibidem Cujacius non multa ad legem nostram observaverit, reipsa tamen, de quo nobis gratulamur, convenit cum interpretatione nostrâ. b.) Pref. ad libr. i. resp. Papiniani p. m. i. c.) leg. 81. & l. 103. de Condit. & demonstr.

§. 9. In libro autem duodecimo responsorum, ut & libro duodecimo, decimo tertio itidem ac quarto decimo Paulus responsa sua retulisse videtur, quæ ad controversias de successione testamentariâ pertinerent a.). Præter nostram verò legem saltem tres adhuc alias b.) ex præfato libro duodecimo retulit Tribonianus. Nostram quod concernit, in eâ præter morem Paulus est perspicuus,

cius, ut adeò neque ut summatim proponatur; neque ut dispesca-  
tur in partes, habeat opus. Casum etiam hic fingere non licebit,  
cum ipse textus casum exhibeat nobis. Igitur tantum verba le-  
gis apponamus:

Lucius Titius ita testamentum fecit; AURELIUS  
CLAUDIUS NATUS EXILLA MULIERE, SI FILIUM  
MEUM SE ESSE JUDICI PROBAVERIT, HE-  
RES MIHI ESTO; Paulus respondit, filium de quo quæ-  
reretur, non sub eâ conditione institutum videri, quæ in  
potestate ejus est: & ideo testamentum nullius esse mo-  
menti.

a.) vide Labittum in indice p. m. 427. b.) scil. l. 25, de lib. &  
postib. l. 45. de vulg. & pupill. l. 90. de acq. hered.

§. 10. Quamvis autem tam verba quam sententia decisio-  
nis Paulianæ sint perspicua, ratio tamen quam Paulus decisioni de-  
dit, est ambigua vel certè non desunt etiam argumenta, quæ de ra-  
tionis istius veritate aliquem possint reddere dubium. Igitur quò  
res procedat melius, necesse est, ut quædam præmittamus de con-  
ditionibus sub quibus filios licet instituere, tūm ut distinctius de-  
veritate & sensu rationis quam Paulus attulit, discipiamus.

## CAPUT II.

### De Conditionibus sub quibus Filios- familias licet instituere,

#### S U M M A R I A.

*T*RIBONIANEA heredum divisio emendata. th. 1. Diversi effectus præ-  
teritionis suorum heredum. Lex 8. §. 1. de injust. testam. exposta.  
th. 2. Quandoque heredes instituuntur sub conditione. Conditiones  
non sunt quæ omnino sunt extituta. th. 3. item conditiones tacite tam  
legatis, th. 4. quam heredis institutioni apposita. th. 5. nisi testator  
hic aliud voluerit. Explicatur l. 19. §. 1. de condit. & demonstr. th.  
6. & 7. Porro conditiones impossibilis, th. 8. quæ pro non scriptis ba-  
bentur

bentur. th. 9. An sit conditio impossibilis: si heres monumentum testatori intrâ triduum proximum ab ejus morte fecerit? Expositio nova & singularis l. 6. de condit. instit. th. 10. 11. 12. 13. 14. Cum conditionibus impossibilibus non confundenda sunt difficiles. th. 12. quæ implenda sunt tanquam verae conditiones th. 13. 14. item turpes, quæ in extra-neis quidem eundem effectum habent cum conditionibus impossibilibus th. 15. impossibilis tamen non sunt th. 16. cum sepius deducantur in aetum th. 17. Divisio conditionum in potestativas, casuales & mixtas. th. 18. Mixtarum exempla & de iis opinio Cujacii, quæ rejicitur th. 19. 20. Potestatativas & mixtas non differre ostenditur th. 11. nisi modo considerandi. Exponitur l. un. §. 7. de caduc. coll. th. 22. Primus usus divisionis illius. An potestativa demum post mortem testatoris impleri debeant? Conciliatur cum Paulo Mecianus & Ulpianus th. 23. & 24. Secundus usus. Potestativa si implementum ejus impeditatur per alium hominem, habetur pro impleta. th. 25. Idem sensit post alios Ulpianus de impedimento à fortunâ proveniente, th. 26. à quo dissentit cum aliis Paulus. th. 27. Rejicitur distinctio Cujacii th. 28. & ostenditur Ulpianum etiam de eo casu sensisse, si adiectus post mor-tem testatoris fuerit mortuus th. 29. Paulum contrâ de eo, qui etiam vivo testatore sit extictus, th. 30. Examinatur ratio conciliationis Cujaciana th. 31. Exponitur l. 23. §. 2. ad L. Aquil. th. 32. & 33. Tribonianus in Codice sententiam Pauli videtur approbasse th. 34. Tertius usus: Filius & alius suus heres poterit institui sub conditione temporis prateriti. th. 35. item necessaria th. 36. tacita th. 37. & impossibili th. 38. non tamen sub turpi th. 39. nec casuali, sed sub potestativa th. 40. Quid si sub contraria casuali fuerit exhere datus? th. 41. Quid si sub mixta institutus fuerit? Rejicitur sententia communis negantium, th. 42. Diversi effectus conditionis potestativa filio adiecta th. 43.

## §. 1.

**H**eredes aut necessarios esse dicit Tribonianus, aut suos & ne-cessarios, aut extraneos a) Per necessarios intelligit servos, quibus libertas & hereditatis in testamento data erat, per suos & necessarios liberos immediate in potestate Patris existentes, per extraneos reliquos omnes. b) Sed miscuit hic Tribonianus divi-siones duas distinctas; nam heredibus necessariis nec sui nec extra-nei opponuntur, sed voluntarii, idque Stylo JCTorum, Ulpiani c)

B 3

&amp; Her-

& Hermogeniani d) magis est conveniens, unde alia est distinctione heredum in necessarios & voluntarios, alia in suos & extraneos.  
e) Prior magis respicit heredes, utrum possint repudiare vel non, posterior magis testatores, utrum possint heredes praeterire vel minus. Sub necessariis olim etiam sui comprehendebantur: jure novo pertinent ad voluntariorum classem salvâ tamen suitate. f) Servus necessarius quidem heres est, sed & simul extraneus, quia non est suus.

a) pr. 7. de hered. qual. & differ. b) §. 1. 2. & 3 cod. c) l. 15.  
& seq. de acq. her. d) l. 12. de cond. inst. e) cors. § 7. de  
hered. qvæ ab intell. f) d §. 2. de hered. qual.

§. 2. Sui itaque non poterant praeteriri, sed necessariò vel instituendi erant, vel exheredandi, cum hac tamen differentia, ut si filii primi gradus praeteriti fuerint, testamentum patris esset nullum, si filia aut nepotes vel neptes, testamentum quidem subsisteret, sed ex praeteritæ scriptis hereditibus adreferent, suis in partem virilem, extraneis autem in partem dimidiam b). Qvod si v. gr. quis filia præteritæ filium suum & extraneum æquis partibus instituisset heredes, filia prætermissa tantum de portione fratris sui quantum de extranei avocabat c). Rationem vero, cur filius præteritus testamentum Patris nullum redderet, Ulpianus dat istam, quod filii per trinam emancipationem ex Patris potestate dimittantur, filiae & nepotes per unam saltrem. Plana sunt ejus hanc in rem verba d) Filia, inquit, cum emancipatur vel nepos quia unâ emancipatione exeunt de potestate, ideo si præteriti fuerint à patre testamentum non rumpunt, seu non faciunt nullum e). Igitur in istâ lege Ulpiani inter nepos & quia nullum comma poni debet, aut parenthesis, quod tamen communiter fit; nam si distinctionis signum ibidem collocetur, turbatur sensus ac si Ulpianus dixisset filiam vel nepotem si emancipari fuerint, non rumpere testamentum patris quia unâ emancipatione de potestate patris exierint, quo pacto profecto nulla esset rationis data cum decisione connexio, & præterea si de testamento patris post emancipationem facto JCTum intelligeres, cum Glossâ, f) id profecto esset ex Domitio Ulpiano sapiente & prudente Viro facere velle Domitium stultarum quæstionum autorem. Pariter

729

riter inepta est commentatio Glossæ de una emancipatione, quod  
nimirum eadem decisio legis locum habeat si filia & Nepos non  
una sed duabus & separatis emancipationibus ex patria potestate  
fuerint dimissi; nec melioris notæ est quorundam emendatio tex-  
tus qui pro una mancipazione legunt; una cum emancipatione.  
Sed hæc obiter.

- a.) pr. J. de exher. lib. b.) Ulpian. tit. qui heredes insit. poss.  
§. 16. & seq. Cajus tit. de exher. lib. §. 1. c.) Paulus lib. 3,  
sent. tit. 5. d.) l. 8. §. 1. de injusto rupe. irr. fact. test. conf.  
eund. tit. 10. §. 1. e.) arg. §. 5. quib. mod. test. infirm. f.)  
ad d. l. 8. §. 1. de inj. test.

§. 3. Porro institutio heredis siebat vel purè vel sub con-  
ditione a.) Conditio in respectu ad heredis institutionem est qua-  
litas heredis institutioni adjecta vim ejus conferens in futurum  
eumque incertum eventum. Ita inculcat Papinianus b.) & adsti-  
pulatur Florentinus c.). Ex quo sequitur, non esse conditionem  
veram quæ confertur in tempus præsens aut præteritum, sed here-  
dis institutionem vel statim inutilem esse vel pro pura haberi. d.)  
Deinde ad conditions improprias etiam illas refert Ulpianus, quæ  
omnino extituta sunt. Quodsi inquit e.) sub ea conditione debe-  
tur, que omnino extitura est, solutum repeti non potest, licet sub alia  
conditione, que an impleatur, incertum est, si ante solvatur,  
repeti potest. Verè autem has exclusit, quia, quod omnino  
extitutum est, ejus eventus non esse potest incertus. Tantum ex-  
emplum & quid Ulpianus per conditions omnino extituras hic  
intellexerit, desideramus. Jucundè pro more Glossa f.) exempli  
loco suppeditat: *Si Antichristus nascetur*. Commodius ad men-  
tem Ulpiani quadraret exemplum: *Si digito calum non tetigeris*.  
Si enim sub hac conditione quis promiserit, Paulus g.) protinus agi posse docet, & Ulpianus alibi b.): *Qui sub conditione stipulatur  
que omnino extitura est, purè videtur stipulari*. Si igitur quis sub  
ejusmodi conditione v. gr. *si cras erit dies Maris* (præsupposito  
quod hodie sit dies lunæ) heres institutus sit, spectabit ad puras  
institutiones. Posset ejusmodi conditions appellare *necessarias*,  
quia earum contradictoria; *Si digito calum tetigero, si cras non erit  
dies Maris*, pertinent ad conditions *impossibilis*.

a.) §. 9.

a.) §. 9. Inst. de hered. Inst. b.) l. 39. de reb. cred. l. 79. pr.  
c.) l. 1. de C. & D. c.) l. 34. §. 1. eod. h.) Papinianus l.  
37. de reb. cred. Ulpianus l. 10. §. 1. de condit. instit. Tribon.  
§. 6. de V. O. e.) l. 18. de cond. indeb. f.) ad d. l. 18. g.)  
l. 8. in fin. de V. O. h.) l. 9. §. 1. de novat.

§. 4. Sunt & quædam conditions, quæ ex rei & negotii  
natura præsupponuntur, & tacitè infint, quæ & ipsæ, quia ab adje-  
ctione hominum non dependent, non sunt conditions propriè di-  
cta, v. gr. si alicui promittatur vel legetur, quod est in utero, vel  
quod nasceretur ex Arescu, aut fructus futuri anni, aut quod Cartha-  
gine accipere debeat: ex negotii naturâ inest conditio, si parsus ex  
utero vivus proveniet, si quid ex Arescu nasceretur, si qui fructus ex  
terrâ producentur, si Carthaginem pervenero, &c. a.) Et de his  
quidem regulam proponit Papinianus b.) Conditions extrinsecus  
non ex testamento venientes, id est, quæ tacitè inesse videntur, legata  
non faciunt conditionalia. Hinc sive in datis casibus conditions  
adjeceris sive eas omiseris neutro modo legatum conditionale est.  
E. gr. sive dicas: *Cajo do lego servum*, sive dicas, *servum, quem alii  
non legavero, do lego Cajo*, legatum non est conditionale c.) Porro:  
sive dicas: *Cajo do lego centum*, sive dicas; *Cajo do lego centum si  
Primus heres erit, vel: si Primus hereditatem adierit*; Sive denique  
dicas: *Si Primus heres erit Cajo centum dare dannas esto*, neutro  
casu legatum conditionale est d.) (aliud si ita dixeris: *Si Primus  
heres non erit, vel etiam: Si Primus heres erit, Secundus Cajo centum  
dare dannas esto, ubi est vera conditio e.)* Quin etsi ita dixeris  
Primus heres esto si navis ex Asia venerit; *Cajo do lego centum si na-  
vis ex Asia venerit*, hoc est si eadem conditio apponatur legatario  
quæ heredi, legatum conditionale non erit, ut Caius observavit f.)  
Quam doctrinam confirmat Ulpianus g.) Heredis aditio inquit, mo-  
ram legati quidem petitioni facit, cessioni dici non facit. Proinde si  
vè purè institutus tardius audeat, sive sub conditione, per conditionem  
impeditatur, legatarius securus est.

a.) vid. l. 1. §. f. de C. & D. l. 73. de V. O. b.) l. 99. de C.  
& D. quam legem exponere omisit Cujacius in Papiniano suo,  
c.) d. l. 1. §. fin. de C. & D. d.) l. 107. de C. & D. l. 19. §. 1.  
eod. l. 3. de leg. i. e.) d. l. 19. §. 1. f.) d. l. 107. de C. & D.  
g.) l. 7. pr. & §. 1. quando dies legatorum:

§. 5.

§. 5. Eadem qvæ hactenus de legatis diximus procedent in heredis institutione, igitur sive *Cajum simpliciter instituerim*, sive additâ conditione, si voluerit, perinde erit. Spectat huc elegans textus Proculi a) simul limitationem exempli exhibens, simul aliam qvæstionem accuratè definiens: *Cornelius & Mævius, uter eorum volet heres esto. Ut ergo vult: Trebatius b) neutrum fore heredem; Cartilius c) utrumq;: Tu cui aduentiaris? Proculus: Cartilio aduentior, & illam adjectionem, uter eorum volet, supervacuum puto, id enim etiam canon adjecta futurum fuit, ut uter vellet heres esset, uter nollet heres non esset. Quod si bi ex numero necessariorum heredum essent, tum id non frustra adiectum esse, & non solum figuram sed vim qvæ conditionis continere dicere tamen, si uterq; heres esse velit, utrumq; heredem esse. Sic neutrò modo erit institutio conditionalis, sive dicam: *Titius heres esto*, sive eum heredem faciam, si me supervixerit, aut si post mortem meam antequam hereditatem adierit non deportatus fuerit, aut, si tempore mortis meæ cum eo sit testameti factio, & qvæ possunt esse conditiones similes.*

a) l. 69. de h. red. instit. b) confirmat hoc simplicitatem & parum subactum judicium Trebatii, de quo fuisus egit Dn. Praeses in programm. ad dispe. part. 2. posit. Huberian. c) jCrum hunc neque in Indice Iustiniani Pandectis præfixo, neque apud eos qui veterum jCtorum vitas scripsierunt deprehendo. Quid quod nec in Glandorpii Onomastico Romano nomen Cartilius, vel ut alii legunt, Carhilii extat. Fuisse tamen hunc jCrum à veteribus estimatum non solum ex hoc textu apparet, sed & quod alibi Ulpianus l.5. §. 13. commod. ad ejus sententiam provocet, illamque approbet.

§. 6. Qvæ cum ita sint & tam natura negotii quam leges eidem assistentes demonstrent quod similes conditiones pro conditionibus veris qvæ actum in eventum incertum ex voluntate hominis suspendere queant, haberi non possint, mirum cuidam videbitur, quid Ulpiano venerit in mentem, ut postquam secundum hanc etenim tradita asservisset: *Hanc Scripturam: Si primus heres erit, damnas esto dare, pro conditione non esse accipendam; magis enim demonstrasse testatorem quando legatum debeatur quam conditionem inseruisse*, istam limitationem addiderit; nisi forte hoc animo fuerit

testator ut faceret conditionem a). Nam cum alias differentia inter legata pura ac conditionalia sit ista, ut pura possint peti statim post aditam hereditatem; b.) conditionalia vero demum post existentiam conditionis, c.) & vero hic aditio hereditatis in exemplo Ulpiani sit ipsa conditio, nullus novus inde videbatur oriri posse effectus, etiamsi testator apponendo ista verba hoc animo fuerit ut faceret conditionem. Quid enim? annon & tunc statim post aditionem hereditatis legatarius legatum poterit petere? & an aliam forte conditionem expectare debebit? Non arbitror. Sed salva res est: Nam et si haec voluntas testatoris diversitatem effectus non producat quoad diei adventum, efficaciam tamen suam exerit in cessione diei. Legatorum purorum dies cedit statim à morte testatoris, conditionalium demum existente conditione. d.) Igitur in dubio quidem ejusmodi conditione adiecta legati dies à morte testatoris cedet, secus vero si testator dixerit, quod haec verba *Si Primus heres erit*, adiecta, debeant habere vim conditionis. Unde concludunt Doctores, quod si legatarius post mortem testatoris ante aditam hereditatem decebat, legatum ad heredes suos hoc casu non transmittat e.) & vice versa, si testator alicui sub verâ conditione v. gr. *Si Titius Consul factus fuerit*, reliquerit legatum, & adjecterit ista verba: *quod si talis conditio extiterit ex nunc lego Mævio fundum*, hanc voluntatem testatoris iterum habere istum effectum ut etiamsi Mævius ante existentiam conditionis fuerit mortuus, modo post testatorem; tamen legatus fundus ad heredes Mævii transmittatur. f.) Debet tamen de voluntate testatoris hic expresse constare, vel ex conjecturis concludentibus, qualis non est, ut rectè monet Noalis g.) si saltet haec verba: *Sub bac conditione, adhibuerit, ut si dixerit: Cajo do lego centum sub bac conditione, si heres hereditatem adcerit.*

- a.) l. 19. §. 1. de condit. & demonstr. b.) l. 181. de R. J. c.) Idem arg. l. 213. de V. S. d.) l. 5. §. 1. & 2. quand. dies legat. cedat. e.) Barol. inl. 99. de C. & D. n. 2. Paul. de Castro in l. 3. deleg. 1. n. 4. Mantic. de conject. ult. volunt. lib. 10. tit. 5. n. 6. Nicol. Noalis de transmissione casu i. n. 23. p. m. 21. f.) Mantic. d. l. lib. 11. tit. 20. n. 11. Noalis d. l. num. 49. pag. 30. g.) d. l. n. 15. p. 18.

§. 7.

§. 7. Ulterius posset etiam limitatio Ulpianeum usum habere in augmento rei legatae. Cum enim regulariter, cum queratur, quantum sit in legato, id tempus inspicatur quo dies legati cedit; a.) ideo si v. gr. quis Cajo equam legaverit, si Primus hereditatem adiverit, ex natura rei himnulus, quem post mortem testatoris equa protulerit ante additionem hereditatis, spectabit ad legatarium, b.) at ex voluntate testatoris, si dixerit quod istud legatum vim conditionalis habere debeat, himnulus manebit apud heredem. Ceterum an in materia heredis institutionis haec limitatio Ulpiani etiam usum habere possit, valde dubito. Certè in exemplis heredum sub ejusmodi tacita conditione institutorum, quæ supradictæ) recensuimus nihil videtur operari posse voluntas testatoris, unde etiamsi testator v. gr. dicat: *Titius heres esto, si tempore mortis meæ, vel quando hereditatem adire vult, sit cum eo testamenti factio, & volo ut haec institutione pro conditionali habeatur, nihil novi hic orientur nec intuitu transmissionis, nec intuitu augmenti, cum in additione hereditatis cessio diei & diei adventus non distinguantur, & hereditas non adita non transmittatur d.) & augmentum omne etiam in conditionalibus institutionibus ad heredem spectet.* Nam in ultimis voluntatibus conditio quæ institutioni adjecta est retrotrahitur ad tempus initii e.) ne videlicet defuncto partim ex testamento succedatur partim ab intestato, quæ ratio cum in legatis conditionalibus cesseret, inde nec ibi conditio existens retrotrahitur. f.)

- a.) arg. l. 8. §. ult. de pecun. legato. Vinn. in nor. ad §. 20. J. de leg.
- b.) arg. d. l. 8. §. ult. c. vid. §. 5. d.) l. unic. §. in novissimo C. de caduc. coll. l. quonodo Sororem C. de jure de tiber.
- e.) l. 28. §. ult. de stipul. Serv. l. 54. de acq. hered.
- f.) arg. l. 12. §. 2. fam. erisc. l. 66. de R. V.

§. 8. Porro ad conditions improprie dictas refero etiam conditions impossibilis, cum & ipsæ non possint suspendere actum in eventum futurum ac incertum. Unde *Cassius & Cælius Sabinius* referente Papiniano a.) conditionem impossibilem falsam conditio nem esse dixerunt. Est vero conditio impossibilis vel absolutè talis vel secundum quid, seu ex hypothesis. Prioris exemplum suppeditat Pomponius b.) *Titius si digito cælum tetigerit heres esto, & posterioris: c.) Titius si Stichum & Pamphilum* (qui jam tempore testamenti

menti mortui erant) manumiserit, heres esto, vel si mater & filia  
mea vivent (& alterutra jam sit mortua.) Alia conditionis ex hy-  
pothesi impossibilis exempla mutuabimur à Juliano d.) Javoleno  
e.) & Papiniano. f.) Lucio Titio, si us heredi meo tabellas, quibus ei  
pecuniam expromiseram, dederit centum dato; (& tabula testamenti  
faciendi tempore nulla fuerint.) Si Stichus Attie mille nummos de-  
derit liber esto, (& Attia ante testamentum factum deceperit.) Pam-  
philus, si quod Titio debo solverit, liber esto, (& nihil Titio fuerit  
debitum.)

a.) l. 72. §. 7. de C. & D. b.) l. 16. in fin. de inj. rupt. irrata  
fact. test. c.) lib. 6. §. fin. de C. & D. d.) l. 104. §. 1. de  
leg. i. e.) l. 39. §. 4. de statu liber. f.) d. l. 72. §. 7. de  
C. & D.

§. 9. De impossibili conditione ultimis voluntatibus adje-  
cta ista sunt veterum Prudentum effata, eas pro non scriptis haberis:  
a.) perinde esse quasi conditio adscripta non sit qua est impossibilis: b.)  
non vitari institutionem sub impossibili conditione factam. c.) Nota-  
bilis est alias textus Ulpiani: d.) Obtinuit, ait, impossibile conditions  
testamento adscriptas pro nullis habendas. Obtinuit, inquit, id est,  
cum de ea re dubitaretur, post magnas varietates eorum opinio  
prevalevit, qui conditionem rejecerunt. e.) Dissensum olim fuisse  
indicio est, quod non solum Papinianus hac de re Cassii & Caelii  
Sabini opinionem tanquam singularem notet, f.) sed & quod ipse  
Ulpianus, Pomponius item, & alii Icti g.) verbum placet in recen-  
sendis suis effatis plerumque soleant adhibere. Præterea hoc ip-  
sum ex alia Ulpiani lego colligere est, ubi ita disserit: b.) Si in  
non faciendo impossibilis conditio institutione heredis sit expressa v.g.  
Titius heres esto si digito cœlum non tetigerit (vocat impossibili-  
lem conditionem in non faciendo; accuratius dixisset necessariam)  
i.) secundum omnium sententias heres erit, perinde ac si purè in-  
stitutus esset. Unde infero, si conditio vere impossibilis (Ulpianus  
fortè dixisset: in faciendo) fuerit adjecta, non ex omnium senten-  
tia hanc institutionem pro pura fuisse habitam.

a.) ita Julianus l. 104. §. 1. de leg. i. ita Pomponius l. 6. §. f. de  
conditio. C. & D. & Labeo l. 20. de cond. inst. b.) ita rursus Pom-  
ponius l. 16. in fin. de inj. rupt. irr. fact. test. c.) sic Ulpia-  
nus

732

nus loquitur l. i. de cond. inst. d.) l. 3. de C. & D. e.)  
 Gutherius de jure manuum lib. 3. c. 21. p. m. 528. Facit buc  
 text. in l. 32. ff. de Obl. & att. f.) l. 72. §. 7. b. t. vid. supra  
 g. preced. g.) d. l. i. de cond. inst. d. l. 16. in fin. de inj. te-  
 stam. & dd. ll. reliquis bac thesi jam citatis h.) l. 50. §. 1.  
 de hered. inst. i.) conf. supra §. 3. in fin.

§. 10. Ad impossibilis ejusmodi conditiones, de quibus ha-  
 c tenus locuti fuimus, communiter etiam à Doctoribus illa reduci-  
 tur, quam resert Ulpianus in commentariis ad Sabinum: 4.) Si quis  
 ita institutus sit, si monumentum post mortem testatoris in triduo pro-  
 ximo mortis eius fecisset; cum monumentum in triduo proximo perfici  
 non posset, dicendum erit conditionem evanescere, quasi impossibilem.  
 Circa cuius textus expositionem duo quæri poterant: 1. an illa  
 conditio: Si monumentum mihi post mortem meam in triduo proximo  
 fecerit: sit impossibilis? 2. An Ulpianus eam pro impossibili  
 habuerit? Utramque affirmare hactenus, quantum nobis depre-  
 hendere licuit, nemo dubitavit, postquam videlicet Glossa non du-  
 bitaverat. Neque dubium hic movet, ut suspicabamus, acutus a-  
 lias JCtus Jacobus Gutherius, sed & ipse Glossam κατὰ μίδα in  
 expositione hujus textus sequitur b.). Licebit tamen, credo, nobis  
 utramque negare, & ideo licebit, quia ut utramque negemus, ratio-  
 nes habemus prægnantes & bona interpretationis doctrinæ con-  
 venientes. Initio enim quis credit & qua ratione inductus cre-  
 dat, impossibile esse alicui monumentum extruere intrâ triduum?  
 Monumentum describit Florentinus c.) quod sit res memoriae causa  
 in posterum prodita, in quâ si corpus vel reliquia inferantur, fiat se-  
 pulcrum, si verò nihil earum inferatur, si monumentum memoriae  
 causa factum, quod Graci ονομάζουσι, id est, inane sepulcrum appellent.  
 Jam verò Cicero d.) retulit ad coercendos sumitus in ex-  
 tructionem sepulcrorum fieri suetus lege sancitum esse, ne quis se-  
 pulcrum faceret operofus quam quod decem homines efficerint tri-  
 duo. Cur non ergo & heres in triduo possit monumentum ex-  
 truere? Quod si objicias, decem homines quidem triduo monu-  
 mentum adficare posse, at testatorem hic non voluisse, ut heres ex-  
 truî per decem aut plures homines curaret monumentum, sed ut  
 ipse faceret, adeoque cum conditions adjectæ præprimis quæ fa-

Qum heredis respiciant, ad unguem sint adimplendæ, non posse  
hoc casu etiam heredem per alios conditioni parere; ut autem ipse  
pareat nihilominus impossibile esset, cum unus homo non possit  
tantum triduo efficere quantum decem; regeram, nec legem quam  
producit Cicero id velle, quasi semper ad extructionem monu-  
menti vel sepulcri tantum operarum requisitum fuerit, quantum  
decem homines intra triduum præstare possint, sed coercitum fal-  
tem fuisse luxum, ne plus impendatur, ergo istam legem id certè  
innuere, sepulcrum id fuisse admisum per legem, quod unus homo  
triduo, vel etiam unā die efficerit. Ut taceam, optimo jure de-  
fendi posse, quod heres in institutione monumentum extruere jus-  
sus, in dubio id ope aliorum possit exequi. e.)

a) l. 6. de condit. inst. b) de jure Manium lib. 3. c. 21. p. m. 528.  
c) l. monumentum 43. de relig. d) lib. 2. de legib. circa si-  
nem p. m. 5203. e) conf l. ult. de cond. inst.

§. ii. Qvod si ergo hæc ita se habent, non possunt vero  
se habere aliter, quis putet prudentem Jctum, qualis omnino Ulpianus fuit, eò ineptiarum pervenisse, ut impossibilem conditionem  
statueret, ubi nulla de impossibilitate ne per somnum quidem ali-  
cui posset oriiri dubitatio. Qvod si ad ejus verba provokes, ferè tot  
contra te ex verbis extruam argumenta, qvot adfunt vocabula. Nam  
primò non dicit, monumentum in triduo proximo extrui aut effi-  
ci non posse, qvam vocem testator adhibuerat in appondâ condi-  
tione, sed id saltem ait, non posse, perfici. Deinde de hæc condi-  
tione non prædicat, qvod communiter Jcti de conditionibus im-  
possibilibus prædicare solebant, eam haberi pro non scripta, aut, qvæ  
ipsius phrasis alias consueta est, eam haberi pro nullâ, a) sed  
asserit eam evanescere, qvæ ante ipso jure subsisterit; sed effe-  
ctu destruatur. b) Denique non impossibilem vocat istam condi-  
tione, sed *quasi impossibilem*.

a) vide supra §. 10. b) arg. l. 31. §. 1. de reb. cred. l. 53. §. 1. de  
furtis.

§. 12. Jam haud dubie qværes: Qvisnam ergo sit sensus  
legis Ulpianeæ? Dicam. Sunt præter istas conditions impossibilis  
de qvib[us] haec tenus locuti sumus a). adhuc alias qvædam, qvæ difficil-  
les a Doctoribus dicuntur, hoc est, qvæ non quidem omnibus ho-  
mini-

minibus sunt impossibilis, sed aliquibus tantum, ob difficultatem; quales sunt, si dicam: *Titius heres esto, si Taurum portaverit, si una die decem millaria cucurrerit &c.* Quæ conditiones ab iis, quas supra secundum quid vel ex hypothesi impossibilis vobis avimus, in eo differunt, quod et si utrobius aliquæ hypothesis præsupponatur, tamen superiores præsupposita ista hypothesis toti humano generi sunt impossibilis, ut ex exemplis supra b) adductis videre est, quod in his fecit. Et si enim eas Titius implere non possit, poterit tamen id quod a Testatore desideratur, præstare Milo quidam aut Cursor: Quid si itaque & Ulpianum de ejusmodi conditione explicemus? Sanus vivere id videtur ea conjectura, quod testator non sumpliciter voluerat, monumentum sibi extrui triduo, quod ab omnibus facile præstari poterat, sed quod voluerit ædificari triduo proximo mortis eius. Hic certè, si heres materiam extruendo monumento aptam, & debito modo præparata habet, adimpleti conditionis non ad eò erat difficultis; Quod si eam careret, facile evenire poterat, ut adimpleti conditionis ipsi fieret difficultissima & penè impossibilis. Atque hoc posterius diceremus contigisse heredi scripto de quo Ulpiano ibidem est sermo. Juvaret hanc expositionem ulterius, quod, uti Ulpianus istam conditionem appellat quasi impossibilem, ita Paulus c) similem conditionem dicat penè impossibilem: *Non est, ait, statu liber cui libertas in tam longum tempus collata est, ut eo tempore is qui ministratus est vivere non possit; aut si tam difficultatem immo penè impossibilem conditionem adjecerit ut aliunde ea libertas obtingere non possit; veluti si heredi milles dedisset, aut, cum moreretur, liberum esse jussisset; Sic enim libertas iniustiter datur, & ita Julianus scribit, quia nec animus dande libertatis est.*

a) vid § 8. b) d. §. 8. c) l. 4. § 1. de statu liber.

§. 13. Facilè autem prævideo, quid hic regerere velis. Ineptule, inquit, annon sentis locum Pauli potius arma contrà expositionem tuam suppeditare, tantum abest, ut pro ea firmanda possit adduci? Loquitur Páulus de conditione non planè impossibili sed difficulti, ast quomodo exinde inferri poterit, Ulpiano etiam de conditione difficulti esse sermonem, cum tamen aperte Ulpianus profeteatur, conditionem de quâ ipse differit, evanescere & ita heredis institutioni non obesse; Paulus contrà istam conditionem difficultem.

lem legatae libertati adjectam legatum ipsum vitiare doceat. Qvod si igitur unquam, ita concludes, expositio legis absurdā & insulsa fuit, certè Tua hæc erit Ulpianeī textus explicatio. Sed bona verba, inquam ego. Ista decisionis Paulianæ & Ulpianeī diversitas nullius absurditatis in explicatione nostra index est, sed novi dissensus inter Paulum atq; Ulpianum & ita novæ antinomia in Pandectis ~~xvi~~  
~~xvii~~. Qvod Ulpianus in suo casu pro heredis institutione pronunciet, inde provenit, qvod eorum sententia, qvi conditiones impossibilis in ultimis voluntatibus pro non adiectis haberi statuebant, adhaesit, a) sed ex diverso Paulus ideo legatum libertatis cui conditio difficilis adjecta erat, inutiliter dari scriptis, qvia videtur secta adversa adhaesisse opinanti conditiones impossibilis ut in contrahitibus sic & in ultimis Voluntatibus violare negotium cui adiecta sint, b) qvorsum videntur facere ejus verba: *Quia nec animus dande libertatis est, qvæ ratio de deficiente voluntate defuncti similiter ad quasvis conditiones impossibilis extendi poterit.* Et profecto deprehendo in dicto Pauli textu alia argumenta plura svadentia dissensum hæc parte inter Paulum & Ulpianum, nisi hoc unicum moveret in contrarium, qvod Paulus ad Julianum provocet, quem pro partibus sententia Ulpianeæ, qvod conditiones impossibilis habentur pro non adiectis, stetisse, ex alio ejus loco perspicuum est. c) Facit qvod alibi d) Paulus doceat, *conditionem impossibilem submoveri.*

a) *vide supra* §. 9. b) *vide d. §. 9.* c) *l. 104. §. 1. de l. 1.* d)  
*recept. sentent. lib. 3. tit. 5. in princ.*

§. 14. Itaque ne sine prægnante causâ antinomiam statuamus, neve Doctorum circulos nimium turbemus, communiter asserentium, conditiones impossibilis pro non adiectis haberi, a) difficiles autem si non impleantur, vitiare institutionem, b) circumspiciendum nobis erit de alia interpretatione legis Ulpianeæ c) Putamus autem commodissimè mentem Ulpiani ita posse circumscribi. *Heredem sub dicta conditione extruendi monumenti intrâ proximum triduum à morte testatoris institutum statim post mortem testatoris edificare monumentum cepisse, sed absq; suâ culpâ id non potuisse perficere.* Videbatur igitur, si quis regulis juris strictè inherere volueret, dicendum esse, qvod defecisset conditio, qvoniam heres voluntatem defuncti

fusilli exactè non adimplerisset. Sed Ulpianus, quem jam supra laudavimus, quod rigorem regularum juris temperare incubuerit, magis ex bono & aequo definitur in hoc casu conditionem aequè evanuisse ac si impossibilis conditio ab initio fuisset apposita. Pro quâ sententia defendendâ poterat ulterius afferri, quod hic triduum non tam in puncto, quam cum aliquâ latitudine, qualem ferè semper in moralibus etiam momentum recipit, sit accipiendo, & quod testator in dictâ conditione principaliter id voluerit, ut mox post mortem ipsi monumentum extratur. Sic notum est, v.g. in promissio puro confessim & statim debitum peti posse, d) rectè tamen & ex aequo ac bono monet Paulus: hoc statim, cum temperamento temporis esse accipiendo, ne creditor statim cum facco adeat debitorem.

a) secundum ea quæ §. 9 diximus. b) in qua assertione frè unicè ad Paulum in d.l. 4. §. 1. de statu liber. provocant. c) de qua supra §. 10. d) §. 2. de V. O.

§. 15. Hactenus de conditionibus impossibilibus, cum quibus respectu heredum extraneorum aequalem effectum habent, conditiones turpes. Conditiones, ait Marcianus, a) contrà Edicta Imperatorum aut contrà leges aut qua legis vicem obtinent, scriptæ, vel que contrà bonos mores, vel derisorie sunt, aut hujusmodi, quas Prætores improbaverunt, pro non scriptis habentur, & similiter, ac si conditio hereditati vel legato adjecta non esset, capitur hereditas legatumve. Similiter Paulus: b) Conditiones contrà leges & decreta principum vel bonos mores adscriptæ, nullius sunt momenti, velut si uxorem non duxeris, si filios non suscepseris. c) si homicidium feceris, si barbaro habitu procerferis d) & his similia. His adde: Si tutor Pupillam uxorem duxerit e) si heres sororis filiam duxerit f) si ab hostibus patrem suum non redemerit, si parentibus suis patronisve alimenta non presterit g) si invicem cavisserint heredes, se legata eo testamento relicta esse reddituros h) si juraverit heres i) si reliquias defuncti in mare abjecerit. k) &c. Etsi vero hæ conditions turpes cum impossibilibus, ut diximus, convenient in effectu, reipsa tamen ab illis differunt. Impossibilis demonstravimus non esse veras conditiones, sed turpes omnino species conditionum sunt, ipsarum eventus enim incertus quidem est sed tamen possibilis, & intentio adjicientis est, ut vis negotii cui adjicitur debeat suspendi,

D

donec

donec conditio illa existat 1) et si leges vel Prætor postea easdem illis quibus adscriptæ sunt remittat. Unde & sèpius JCTi, dum accuratius de earum efficaciâ loqui instituerunt, non, ut Marcianus, eas pro non scriptis haberi asserunt, sed dicunt eas à legibus vel à Prætore remitti m). Qvod autem impossibile est, remitti nequit. Posse ergo ex dictis veras conditiones di, idere in honestas & turpes.

- a) l. 14. ff. de C. & D. Ferè eadem habet in l. 12. §. 3. de leg. i.  
b) recept. sent. lib. 3. tit. 5. §. 1. c) quæ conditiones sunt contrà legem Julianam & Papiam. conf. Cujacium ad lib. 16. qvæst. Papinianip. m. 401. Cui similius est, si mulier non nupserit, cuius Julianus meminit l. 22. de C. & D. d) vel muliebri, quæ sunt contra bonos mores. Cujacius d. l. e) quæ improbat per Senatus Consultum, qvod D. Marci temporibus factum est. f) hanc improbat constitutiones principum. Cujacius d. l. g) Paulus l. 9. de condit. instit. quæ sunt iterum contrà bonos mores. h) quam ad fraudem legum, respicere ait Pomponius l. 7. eod. quæ vetarent quosdam legata capere. i) conditionem banc Prætor improbat Ulp. l. 8. pr. eod. k) Modestinus l. 27. eod. Posse hanc referre ad eas, quas Marcianus vocavit derisorias. l) conf. supra §. 3. m) Ita Pomponius l. 7. de condit. instit. Ulpianus item l. 8. §. 4. eod. & Paulus l. 9. eod.

§. 16. Non sum eqvidem nescius communem Dd. Scholiam turpes conditions facere species impossibilium, & impossibilis dividere in eas quæ naturâ & quæ lege impossibilis sunt; sed quemadmodum sententia ista ex dictis corruit, & jam Bachovius a) obseruavit, istam divisionem non quadrare ad mentem JCTorum; ita Originem errori videtur dedisse non recte intellectus Papinianni locus b). Quia factâ ledunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & ut generaliter dixerim, contrâ bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est. Ex quibus concluderunt; ergo conditio turpis est conditio impossibilis, contrâ, vel certè prater Papiniani intentionem. Ut enim ad oculum patet, vult faltem eo loco demonstrare Papinianus, conditionem turpem non esse conditionem potestativam c). Nulla autem est illatio: Conditio haec non est potestativa ergo est impossibilis; poterit enim esse casualis. d) Et si, verò Papinianus dicat turpia nos facere non posse (quamvis

nec

nec hoc asserat, sed credendum esse ea nos non posse facere, quæ phrasis fictionem importat) tamen hic non ad potentiam sed ad potestatem seu licentiam respicit. Ferè enim in lingvâ latina ubivis receptum est ut rō posse pro licere frequentissimè usurpetur, ut taceam, à verbis ad derivata non semper argumentari licere. Ita non possum inferre. Hic transfugit, ergo est *transfuga*, hic errat, ergo poterit *erro* appellari, hic hominem cœdit, ergo pro *homicida* habendus est &c.

- a) ad Wifsenb. tit. ff. de cond. instit. lit. a. b) l. 15, de C. & D.  
c) conf. infrā §. 39. d) vide infrā §. 18.

§. 17. Et quomodo leges has conditions pro impossibili-  
bus habere possent, cum de potentia in actum deducata, hoc est de  
conditione turpi adimplete disponant? Reprebendenda tu magis  
es rescripserunt Imperatores a) quam mater tua. Illa enim si be-  
redem te sibi esse vellet, id quod est inutile, matrimonium te dirimere  
cum viro, non juberet: tu porro voluntatem ejus divortio comprobasti.  
Oportuerat autem et si conditio hujusmodi admittereur preferre lucro  
concordiam maritalem. Enimvero cum boni mores hoc observari ve-  
tent, sine ullo damno conjunctionem retinere potuisti. Redi igitur ad  
maritum, sciens hereditatem matris etiam si redieris, retenturam, qvip-  
pe quam retineres, licet prōsis ab eo non receffses. Offert se hic  
nobis de adimplete conditione turpi multa differendi occasio. An  
ea qva hīcab Imperatoribus disposita sunt, procedant etiam in de-  
ličis enormibus? An hīc inter legata & heredum institutiones dif-  
ferentia sit? An legatum vel hereditas auferri debeant, si post ea-  
dem acqvisita quis conditionem turpem impleverit? Sed, ne lon-  
gius abeamus à scopo, ab eā dissertatione hīc abstinemus.

a) Valer. & Gallien. l. 5. C. de instit. & subſtit.

§. 18. Pergimus potius ad divisionem conditionis veræ.  
Relinqui aliquid Justinianus ait a) sub conditione vel casuali vel  
potestativa vel mixiā, quārum eventus vel ex fortunā vel ex bono-  
rate personæ voluntate vel ex utroque pendet. Qvibus verbis bre-  
viter præter morem tres conditionum species earumque definitio-  
nes enunciat. Potestativa conditio est qvæ ex persona honorata  
voluntate pendet, ut: Titius heres eſto, si Alexandriam p̄venērit, b)  
ſi Capitolum adscenderit: c) ſi Titio decem dederit, d) Casualis qvæ

ex persona honorata voluntate non dependet, sive ista sit in potestate alterius, ut: *Titius heres esto, si Caius capitolium adscenderit*, sive dependeat à plurimum hominum arbitrio; e.g. *si Titius Consul factus fuerit* e) sive partim ab arbitrio aliorum, partim à fortuna; ut: *Si navis ex Asia venerit, sive à merâ fortunâ, ut: si crast tonuerit.*

- a) l.un. §. 7. C. de caduc. toll. b) lllp. l. 4. §. 1. de hered. inst.  
c) Paulus l. ii. pr. de C & D. d) argumento l. ult. de cond. inst. e) Paulus ibid.

§. 19. Mixta igitur conditio erit quæ partim a voluntate persona dependet partim non dependet. a) Res per se patet & nemo forte hic nobis movebit item. Sed exempla quærumus. Mirramur plerumque Doctores dum ad Pandectas commendantur, exempla mixtarum conditionum vel planè præterire vel ambiguè Lectorem remittere ad leges. Distinctius doctrinam de mixtarum conditionum exemplis exponere conatur Cujacius b). Quæ autem est mixta conditio, inquit, vulgo accipiunt pro ambigua, quæ potest esse potestativa & non esse, veluti: *si Alexandriam ierit, si non potestativa, si per hyemis injuriam iri non possit, & erit potestativa, si imponatur ei, qui à primo miliario Alexandriae agit, quia impletu facilius est & promta; Item hæc conditio si Titio decem dederit est potestativa, si Titius præsens fuerit, non est potestativa, si Titius longinquo itinere peregrinetur & forte nesciatur ubi gentium degat c).* Et ferre hoc notandum, nulla est conditio potestativa quæ non possit non esse potestativa (dicere voluit: quæ non possit esse non potestativa) quæ ratione putem, non alia ratione potestativas appellari promiscuas, d) quanquam (legendum puto quām quod) possit esse potestativa & non esse. Casuales autem appellari non promiscuas, quia quæ casuialis est, non potest esse potestativa, veluti hæc est, si fulserit cras, nunquam non potest esse casuialis, non est igitur promissa. Sed male vulgo mixta conditio dicitur quæ est promissa, hoc est quæ potest esse potestativa & non esse, nam non idem mixta est. Mixta est cuius eventus partim pendet ex voluntate partim ex casu e) veluti hæc conditio; si Titio reverso postl. decem dederit; partim est casuialis partim potestativa; vel hæc conditio; Si Titio Consule Capitolium adscenderit heres esto.

- a) d. l.un. §. 7. C. de caduc. toll. b) ad lib. 13 quæst. Papin. l.ulr. de condit. inst. c) l.4. §. puto de hered. inst. d) l. ii. pr. de

pr. de cond. & demonstr. e) l. unic. §. 7. C. de caduc. toll.  
l. ult. C. de necess. serv.

§. 20. Ex mente igitur Cujacii exempla mixtarum conditionum sunt: *Si Titio reverso postliminio decem dederit: Si Titio Consule Capitolium adscenderit.* Sed mallem Cujacius unicam saltem legem adduxerit, ubi vel illa exempla pro conditionibus mixtis haberentur, vel de aliis saltem exemplis prædictetur ea pertinere ad Conditions mixtas. Et valde vereor, eas, quas adduxit conditiones, pro mixtis venditari posse. Desideramus exempla unius conditionis non plurium. In Cujacii autem exemplis duas conditiones conjunctæ sunt. In priori. *Si Titius postliminio reversus fuerit & si heres eidem reverso decem dederit.* In posteriori: *Si Titius Consul factus fuerit, & si heres meus eodem Consule Capitolium adscenderit.* Communiter autem Doctores alii exempli loco in conditionibus mixtis istam afferunt: *Si heres meus Meviam duxerit, quoniam in ea adimpletio conditionis partim à voluntate heredis dependet, partim à voluntate Meviae, imò & partim à casu, si Mevia intra annos pubertatis moriatur.* a) Sed nec hinc differentiam video inter potestativam conditionem & mixtam. Nam eadem quas de exemplo proximo adduximus rationes, cur ad mixtam conditionem referenda sint, eadem etiam ad exempla superius adducta conditionum potestativarum applicari possunt: Ita conditio: *Si Titius Alexandriam pervenerit heres esto, non solum eo casu non potestativa est, si per hyemis injuriam iri non possit, sed & eo casu mixta esse potest, si Titius uno miliario ab Alexandria absit, poterit enim graviter ægrotare, poterit ab alio, ne Alexandriam eat, impediri.* Eadem ratio est illius conditionis, si *Capitolium adscenderit.* Poterit enim & hic per morbum aut dolo vel vi alterius impediri. Poterit insuper & *Capitolium incendio vel alio casu perire.* Denique: *Si Titio decem dederit, plurima à fortuna admixta habet, quæ à dantis voluntate non dependent.* Quid si enim Titius decem accipere nolit? Quid si Titius moriatur? &c. Breviter nullus videtur dari conditio mere potestativa, quæ non simul aliquid admixtum habere possit quod à potestate personæ honoratae non dependeat, nisi forte illam excipere velis: *si voluerit, quæ tamen & ipsa regulariter non est conditio vera per ea quæ supra b) deduximus.*

x) vid. l. 101. pr. de cond. & demonstr. b) §. 5.

§. 21. Quid ergo dicemus? Accurātē loquendo non nisi duas esse conditionum species, Potestativam & casualem. Probamus hoc per verba Pauli nostri: a.) Scendum est: promiscuas conditiones post mortem impleri oportere, si in hoc fuit ut testamento prestat: veluti: Si Capitolium adscenderit, & similia: non promiscuas etiam vivo testatore existere posse, veluti: si Titius Consul factus fuerit. Per promiscuas hic Paulum intelligere Potestativas, per non promiscuas autem conditiones casuales, & exempla subiecta ostendunt & Cujacius b.) consentit. Ulterius ipse Imperator Justinianus c.) de conditione Servo apposita, non aliam conditionem potestativæ opponit quam casualem. Cum itaque casuialis planè non à voluntate heredis dependeat, potestativa autem omnis, ut ipse Cujacius fatetur, possit fieri non potestativa, inde patet conditionem potestativam & mixtam revera esse Synonyma, quod in superfluum per inductionem probari posset, si foret opus, d.) vel potius: conditionem mixtam potestativæ oppositam non dari. Facit pro hac sententia, quod vocem conditionis mixtae in Pandectis reprehendere non potuerimus, etsi vel centum leges à Doctoribus in doctrinâ de conditionibus citatas evolverimus; & præterea nec in Codice conditioni mixtae diversus effectus à potestativâ conditione fuerit adscriptus.

a.) l. n. §. 1. de C. & D. b.) vide §. 19. c.) l. fin. Cod. de necessariis Serv. hered. d.) conf. interim §. preced. & §. 2.

§. 22. Sed quid faciemus cum Justiniano, qui has tres conditionum species expressè constituit, & mixtam à potestativa separat? a.) Possemus equidem dicere: Tribonianum hâc parte lapsum fuisse, quod putaverit, potestativam conditionem illam esse, quæ tantum à potestate personæ honoratae dependet, cum ejusmodi conditione, ut ostendimus, non detur. Sed tentabimus tamen, an Tribonianum, si non exactè defendere, certè excusare aliquatenus possumus. Nimirum, etiam si omnis potestativa simul à casu dependeat, quatenus adhuc speratur, respectu tamen existentiæ eadem dividi poterit. Vel enim casus (sub quo etiam factum alterius comprehendere) impediit eum, qui conditionem ejusmodi adimplere voluit, vel non impediit. Priori casu mixtam dicere quid vetat?

tat? à casuali in eo differentem, quod in mixta casus venerit ex accidenti, in casuali ab initio statim necessariò comprehensus fuerit. Posterior verò propter deficientiam casus simpliciter potestativa appellabitur.

a.) vide supra §. 18.

§. 23. Jam videamus, quem usum pariat distinctio conditionis in potestativam & casualiem? Primum ex Pauli loco supra a.) adducto liceat repetere. *Potestativa post mortem testatoris impleri debent. In Casualibus nihil interest utrum vivo an mortuo testatore existant: Et ita quidem Paulus. Jam audiamus etiam Ulpianum b.)* Hæc conditio, inquit, Filiæ meæ cum nupserit, talis est, ut qui testatus est, impleri solummodo conditionem voluerit; non sat is egerit quando. Et ideo et si vivo testatore nupserit, post testamentum factum impleta conditio videtur, præsertim, cum conditio hæc talis sit ut semel impleri debeat. Atqui hæc conditio: *Filiæ meæ cum nupserit*, potestativa est. An igitur hic Paulus & Ulpianus dissentient? Ita videtur quidem pronunciandum esse, præprimis, si cum hoc Ulpiani textu jungamus verba Mæciani: c.) *Conditionum quæ in futurum conferuntur, triplex natura est, ut quedam ad id tempus quo testator vivat, quedam ad id quod post mortem ejus futurum sit, quedam ad alterutrum pertineant: tempus autem vel certum vel infinitum comprehendatur,--. Illa hæc conditio: Titiæ si mihi nupserit, non dubio nisi vivente Testatore, illa autem: Si ad exequias funeralis mei venerit, nisi post mortem impleri non possit. Illa verò, si filio meo nupserit vel vivente vel mortuo testatore impleri possit: Quod idem est ac si Mæcianus statuisset. Conditiones omnes sive potestativas sive casuales vel vivo vel mortuo testatore adimpleri posse, nisi negotii natura ostendat, eas vel ad viventem testatorem vel ad ejus mortem restrictam esse. Sed quemadmodum inter Mæcianum & Paulum facile conveniet, si dicamus, utriusque sententiam ex utriusque verbis restringendam, & limitandam esse; (Pauli quidem dicentis: conditions potestativas tantum post mortem adimpleri debere; ex Mæciano, nisi negotii natura suadeat eam vivo testatore debere adimpleri, ut in casu: Titiæ, si mibi nupserit. Mæciani verò, afferentis: conditions quæ per negotii naturam determinationem temporis non habent, & vivo &*

vo &

vo & mortuo testatore existere posse ; iterum ex Paulo ; nisi sint conditiones potestativæ , ut in casu : *Titio si Capitolium adscenderit* ita inter Ulpianum & Paulum hic ideo dissentus non poterit statui , quod alias Ulpianus dissentiret à se ipso . Nam alibi d) *Conditionum*, dicit, *quædam sunt, quæ quandoque impleri possunt, etiam vivo testatore ut puta, si navis ex Asia venerit, nam quandoque venerit navis, conditioni paritum videtur.* *Quædam quæ non nisi post mortem testatoris:* Si decem dederit, si Capitolium adscenderit : nam ut paruisse quis conditioni videatur, etiam scire debet hanc conditionem insertam : nam si fato fecerit, non videtur obtemperasse voluntari . His verbis certè Ulpianus non solum cum Paulo amicè conspirat, sed & rationem sententiae Paulianæ non obscurè suppeditat.

a) §. 21. b) l. 10. de C. & D. c) l. 91. eod. d) l. 2. eod.

§. 24. Igitur ut Ulpianus & cum seipso & cum Paulo concilietur, dicemus : In Casu *Filia mæ si nuperit*, specialem esse rationem, ex quâ regula de conditione potestativâ limitari debeat. Poterit vero hæc specialis ratio in eo quæri, quod hic filia fuerit, cui conditio potestativa sit adjecta, vel quod hic ejusmodi sit conditio quæ semel adimpleri debet, a) id est quæ non pro libitu personæ honoratae iterari potest, aliam esse rationem in conditionibus. *Si decem dederit :* *Si Capitolium adscenderit*, quia hæc pro libitu multoties adimpleri possunt. Non absurdum etiam erit, si dicas: Convenisse quidem JCTos, de reliquis conditionibus potestativis, de conditione vero: *Filia si nuperit*, in specie dissentisse. Dicit nos ad hanc conjecturam ipse Justinianus, ubi hanc Ulpiani, de dictâ conditione, sententiam confirmat b).

a) *qvo p̄st̄ant verba d. l. 91. de C. & D. præsertim cum conditio.* b) l. 7. C. de insit. & fulsit.

§. 25. Secundus Usus distinctionis in potestativas & casuales momentum habet in conditionis deficientia, *Casualis* conditio deficit, si quocunq; modo impediatur ejus eventus. Sed in *Potestativa*, quæ eadem simul & mixta est, distingvendum, utrum heres conditionem adimplere nolit, cum facile possit, an ejus adimplementum ipsi reddatur difficile. Ibi conditio deficit. Hic vel difficultas oritur ex impedimento alterius hominis, vel à mero casu. Quod si conditio impediatur ab alio homine , tunc unanimiter JCTi veteres

res statuerunt, conditionem haberi pro impleta. a) Ex infinitis aliquot adducamus exempla. 1. Si in forum ierit intra decendium post mortem meam, & vicinus ipsum prohibuerit, ne viâ publicâ eat b). 2. Si servus quinque operas præstiterit & impediatur ab alio ne præstare possit c). 3. Libertis meis, si cum filio meo morati fuerint; & filius in militiam profectus sit quibusdam Romæ reliæcis, d) aut continuo peregrinetur, & libertis sustentationem, præbere nolit, e) aut liberti à tutore fuerint impediti f). 4. Si negotia Caji gessirit & Caius prohibeat g). 5. Si rationes reddiderit & heres caufetur rationes accipere. 6. Si in Hispaniam profectus anno proximo fructus coegerit & heres eum Roma detineat h) 7. Si jussus sim heredi decem d.re. 8. Si Sejam uxorem duxero, & heres nolit accipere, & Seja nolit nubere i).

a) Differit Wissenb. ad Pan. 1. de condit. inst. tb. 13. qui distinguit, an per cum sit, in cuius persona impleri debuerit conditio, & tum sententiam nostram admittit: an per extraneum fiat impedimentum, ubi conditionem pro impleta non haberi afferit. Sed quemadmodum banc ejus opinionem satis refutant exempla 1. 2. & 3. à nobis hic adducta, ita nec eadem probatur per l. 23. §. 2. ad l. Aquiliam. Ad quam facile responderi potest, aliud esse: Occidere servum manumittendum ut manumitti non possit: aliud: impedire manumissionem. b) l. 40. pr. de C. & D. c) l. 57. eod. d) l. 84. cod. e) l. 13. §. 1. de an leg. f) l. 34. § 4. de leg. 2. g) l. 101. §. fin. de C. & D. conf. d. l. 13. pr. de ann. leg. h) l. 34. §. 1. de statu liber. conf. tamen l. 38. cod. l. 3. §. 7. 8. n. cod. i) l. 5. §. 5. quando dies legat.

§. 26. Quid si vero conditionis potestativa eventus impediatur à casu, & verbi causa is, in cuius persona adimpleri debet, fuerit mortuus, quid tunc juris? Conditionem haberi pro impleta Papinianus docet. a) Qui ex fratribus meis Titiam consobrinam uxorem duxerit, ex beße heres esto, qui non duxerit ex triente heres esto. Vivo testatore consobrinâ defunctâ ambo ad hereditatem venientes semisses habebunt, quia verum est, eos heredes institutos, sed emolumen portionum eventu nuptiarum discretos. Eadem fuit sententia Ulpiani b) Morino vel manumissio Sticho vivo testatore qui ita heres institutus est, si jurasset se Stichum manumisserum, non videbitur

*defectus conditione heres, quamvis verum sit, compellendum cum manumittere si viveret. Idem est, et si ita heres institutus esset quis: Titius heres esto, ita ut Stichum manumittat; aut: Titio centum ita lego ut Stichum manumittat. Nam mortuo Sticho nemo dicet summovendum eum. Non videatur enim defectus conditione, si parere conditioni non possit. Implenda est enim voluntas si potest. Istam opinionem etiam Pomponius c) fuit secutus. Si Titia legatum relictum est, si arbitratu Seji nupsisset, & vivo testatore Sejus deceperet, & ea nupsisset, legatum ei deberi. Sed et si Servi mors impeditisset manumissionem, cum tibi legatum esset, si eum manumisisses, nihilominus debetur tibi legatum, quia per te non stetit, quo minus perveniat ad libertatem.*

a) l. 24. de cond. inst. conf. ejusd. Papiniani l. 101. pr. de C. & D.  
b) l. 8. §. 7. de cond. inst. c) l. 54. §. 1. & 2. de leg. 1.

§. 27. Contrariam sententiam arripuisse videtur Africanus, quod ex sequenti decisione patet. a) In testamento ita erat scriptum: Stichus & Pamphila liberi sunt, & si in matrimonium coierint, heres meus his centum dare damnas esto. Stichus ante apertas tabulas deceperit. Respondit: partem Stichi defectam esse. Sed & Pamphilam defectam conditione videri, ideoque partem ejus apud heredem remansuram. Sed et si uterque viveret, & Stichus nollet eam uxorem ducere, cum mulier parata esset nubere; illi quidem legatum deberetur, Stichi autem portio inutilis siebat. Nam cum uni ita legatum sit: Titio si Sejam uxorem duxerit, heres meus centum dato, siquidem Seja moriatur, defectus conditione intelligitur: At si ipse decedat, nihil ad heredem suum cum transmittere, quia morte ejus conditio defecisse intelligitur. Utroque autem vivente, siquidem ipse nolit uxorem ducere, quia ipsis facta conditio defecit, nihil ex legato consequitur; muliere autem nolente nubere, cum ipse paratus esset, legatum ei debetur. Sed & Hermogenianus scriptum reliquit b). In legatarii persona placuit conditionem deservire, si antequam legatarius dederit pecuniam, Titius moriatur. Fuisse autem hoc in questione dissensum inter Ictos ferè indicant ea quæ Paulus habet, & ipse in sententiam posterioriem inclinans. e.) Is, cui Servus pecuniam dare jussus est, ut liber esset, deceperit. Sabinus; si decem babuisset parata liberum fore, quia non staret per eum quo.

739

quo minus daret. Julianus autem ait, favore libertatis, constituto  
jure bunc ad libertatem peruenturum, etiamsi postea habere coperit  
decem. Adeo autem constituto potius jure quam ex testamento ad  
libertatem peruenit, ut si eidem & legatum sit; mortuo eo cui dare  
jussus est ad libertatem quidem peruenier, non autem & legatum ba-  
biturus est, idque & Julianus putat, ut in hoc ceteris legataris similis sit.  
Diversa causa est ejus, quem heres probiber conditioni parere, hic enim  
ex testamento ad libertatem peruenit.

a.) l. 31. de C. & D. b.) l. 94. pr. eod. c.) l. 20. §. 3. de fia-  
tu liber.

§. 28. Ut dissensum hunc tollant, variè se torquent Do-  
ctores, quorum inventiones prolixius examinat Donellus a.) qui  
& ipse tamen sua solutione infinitos relinquit nodus. Recepta  
serē est Cujacii b.) distinctione, utrum mors contigerit vivo testatore  
an mortuo. De priori casu intelligendos esse Papinianum, Ulpianum &  
Pomponium, quod conditio pro impleta censerī debeat:  
De posteriori vero casu sensisse Africanum, Hermogenianum &  
Paulum, quod conditio defecerit. Sed multa sunt quæ istam di-  
stinctionem non admittunt, invenientia Ulpianum cum reliquis conditionem  
pro impleta haberī voluisse, etiamsi ī in cuius persona  
adimpleri debuerit mortuo testatore fuerit extintus, vel certè Paulum  
cum asseclis conditionem pro defecta habuisse, etiamsi vivo  
testatore adjectus fuerit mortuus.

a.) lib. 8. c. 34. b.) lib. 17. obs. 22. Conf. Wissenb. ad Pand.  
de condit. inst. tb. 13.

§. 29. Prius probamus ex ratione Ulpiani & Pomponii,  
quas decisioni casuum subjiciunt a.) Pomponius ait, ideo deberi  
legatum *quia per me non stetit, quo minus Servus ad libertatem per-  
veniat.* Atqui per me etiam non stare potuit si servus post mor-  
tem testatoris fuerit mortuus. Ulpianus eum dicit *non defectum  
esse conditione, qui parere conditioni non potuit.* At multi casus  
existere possunt, ut & mortuo testatore aliquis conditioni statim  
parere non potuerit, itaque & de his Ulpianum sensisse est necesse,  
si interim servus fuerit mortuus. Nec obstat, quod apud Ulpia-  
num & asseclas *vivo testatoris* facta fuerit mentio. Vel enim hoc  
ideo factum, quod hæc circumstantia in ipsis rerum argumentis,

de quibus Jcti isti respondere debebant, ita obtinuerit, & à Jctis fuerit repetita, ut casus proponeretur integer, non ut monumentum rationis in eā quereretur; vel potius ideo *viri testatoris* mentio fuit injecta, quoniam de hoc casu universaliter vera erat ratio decisionis quam dederant, *quod persona honorata conditioni parere non potuerit, & ita per ipsam non steterit*, quoniam, ut diximus, conditio potestativa demum post mortem testatoris adimpleri debet. b) At si mortuo testatore v. gr. Stichus manumittendus fuerit mortuus, ratio decisionis non omnibus casibus applicari poterat, cum persona honorata etiam poterat in mora adimplenda conditionis fuisse.

a) vid. § 26. b.) vid. supra §. 22.

§. 30. Quod autem Paulus cum Africano & Hermogeniano conditionem defecisse arbitrati fuerint etiam si Stichus vivo testatore fuerit mortuus, inde constat, quod non solum generaliter & absque distinctione loquantur, sed & quod integer contextus dictorum Jctorum ostendat, eos in quaestione de conditione potestativā impeditā, non ut Ulpianum & Pomponium distinxisse, utrum per heredem steterit an minus quod conditio non fuerit adimplita, sed potius, utrum per alium hominem impedimentum accesserit, an per casum, ita ut illo modo conditio pro impletā habeatur, posteriori vero, quo referenda etiam est mors adjecti vive vivo testatore vive eo mortuo contingens, conditionem defecisse dicendum sit. Deinde non sine causa Africanus casum ita formavit de adjecto *ante apertas tabulas* decedente. a.) Nam uti quoq[ue] ille, qui vivo testatore moritur, rectè dicitur *ante apertas tabulas* fuisse mortuus, ita & si in rationem, cur quaestione suam de eo qui ante apertas tabulas decessit, & non in genere de eo qui post mortem testatoris decessit, formaverit, inquiramus, veritas sententiae nostrae eo magis patefcet. Vel enim id ideo fecit, quia de jure veteri dies legati ab apertis tabulis demum cederet, (quod postmodum Justinianus mutavit disponendo, ut cedebat à tempore mortis,) b.) quo pacto eandem vim haberet quaestio ac si ex hypothesi juris novi quassisset de adjecto ante mortem testatoris fatis functo; vel ideo, quia, si decederet adactus post apertas tabulas, minor esset dubitatio conditionem defecisse, quod imputandum videretur personæ honoratae, cur non statim conditionem adimplere intenderit, quo pa-

740 4

cto iterum eadem est ratio morientis vivo testatore, quam ejus qui post defunctum testatorem ante apertas tabulas decedit.

a.) vide §. 27. b.) d. l. un. §. 5. C. decaduc. toll.

§. 31. Quod si ulterius in rationem distinctionis inquiramus, & cur conditio pro impletâ haberi debeat, si adjectus vivo testatore moriatur, non censeatur autem impleta, si post testatorem; patebit, nec illam scrupulos tollere. Cujacii rationem, quod testator se non vivo, sed mortuo conditionem adimpleri voluerit, ob hanc causam rejecit jamdiu JCtus quidam Magnificus, a.) quod detur conditio, qua tam vivo quam mortuo testatore impleri possit, etiam ad hunc effectum ut purifetur institutio aut legatum, sive vivo eo, sive mortuo impleta fuerit. b.) Itaque alia ratio distinctionis istius substituitur c.) & haec nimirum: *Quandounque conditio vivo testatore deficit, tum eo tempore quo vires accipit testamentum, quod sit mortuo testatore, reperiitur heres institutus vel legatarius honoratus sub conditione impossibili.* Etsi enim eo tempore quo testamentum scribatur, talis non esset, degeneravit tamen eo ipso tempore quo deficit & ex post testativa possibili factatora est impossibilis. Atqui impossibilis non vitiat ultimam voluntatem, sed ipsa portius viriatur. E contrario quando moriuntur testator conditione adhuc possibili, testamentum per conditionem istam qualificatur & cum ea ita substitut, ut aut impleri conditionem, aut totum relictum omitti oporteat. Sufficit enim impleri potuisse conditionem post mortem testatoris, ut maximè omni tempore possidra impleri nequeat. Hic nihil urgeo, quam, si hæc rationes concludant, ex priori sequi: Heredem sub casuali etiam conditione: v. gr. *Si Titius Consul factus fuerit* institutum, ad hereditatem admitti, si Titius vivo testatore moriatur, quod tamen nemo facile dixerit; ex posteriori autem id inferri; Heredem v. gr. *Cajam ducere jussum* ad hereditatem non admitti, si post mortem testatoris Caja ipsi nubere nolit, cuius tamen contrarium supra d.) deduximus.

a.) in disp. inaugurali de conditionibus tbes. 124. b.) l. 10.

l. 19. de C. & D. conf. suprà § 23. & 24. c.) d. disp. tb. 125.

d.) vid. §. 25.

§. 32. At, inquires, dicta tamen conciliatio expressis juris textibus nititur. Audiamus Julianum, qui inter eos supra a.) colla-

E 3 loca-



locatus est qui Ulpiano contradicerent. Julianus sribit : b.) Si institutus fuero sub conditione , si Stichum manumisero, & Stichus sit occisus post mortem testatoris, in estimationem etiam hereditatis premium me consecuturum propter occasionem enim defecit conditio. Quod si vivo testatore occisus sit hereditatis estimationem cessare , quia retrorsum quanti plurimi fuit respicitur. Respondeo : Verba quidem Juliani audivi, nihil audivi quod cum haec tenus à me traditis pugnet. Quodsi enim tu ita Julianum explices quasi ideò dixerit estimationem hereditatis cessare , si servus ab herede manumittendus vivo testatore fuerit imperfectus, quod ita heres nullum damnum in hereditate fuerit passus, quam nihilominus adire posset ac si conditio fuerit impleta , negabo hanc rationem. Nam vera causa, cur hoc ultimo casu pretium hereditatis, non restituatur , est ista , quod incertum sit c.) utrum Dominus supervixerit testatorem, & ita hereditatem consequi potuerit, in actione quippe legis Aquiliæ interestè quidem peti potest, sed quod certum est ac radicatum. d.)

a.) vid. §. 27. in fine b.) referente Ulpiano l. 23. §. 2. ad L. Aquil. ad quem textum provocat Wiffenb. ad ff. de cond. inf. t. b. 13. c.) vide Donellum l. 8. cap. 34. p. m. 355. d.) l. 21. & seqq. ff. ad L. Aquil. l. 29. §. 3. eod. l. 21. §. 3. de act. emt. conf. iterum Wiffenb. ad ff. d. t. t. b. 9.

§. 33. Sed audio te regerentem : Non evades quoconque te vertas. Transeat Julianus, restat Ulpianus , ita à Te supra a.) expositus, acsi statuat, conditionem haberi pro impleta, sive adjectus moriatur vivo testatore, sive eo defuncto. At hic b.) disertis verbis dicit propter occasionem servi vivo testatore factam defecisse conditionem. Enimvero nulla evasione hic mihi opus , inquam ego ; Tute ipse quomodo sis evasurus videoas, cum & Te , qui Ulpiani sententiam , acsi de morte adiecti vivo testatore contingente tantum loqueretur supra c.) exposuisti, iste nodus liget. Sed torqueas te in ejus expositione cum Donello d.) quoisque velis: dicam quod sentio. Ulpianus hic Juliani sententiam recenset, non suam. Neque hic Juliani sententiam aut probat, aut refutare vult. Si enim alterutrum horum in mente habuisset, haud dubie notas mentis suæ apposuisset, quas alias e.) apponere non supersedet.

a.)

a.) §. 29. b.) d. l. 23. §. 2. ad L. Aquil. c.) vid. §. 28. d.)  
d. c. 34. p. 355. e.) & quidem in eādem l. 23. §. 1.

§. 34. Ergo hoc modo dissensiones manebunt & antimo-  
niæ? Quid id ad me? Cura ut tibi Tribonianus respondeat.  
At Tribonianus tamen non poterit simul voluisse contradictoria,  
sed haud dubiè unam ex his sententiis approbavit? Nec hoc ad  
me, cum divinare non didicerim. Qværas ex ipso Triboniano, &  
vel tortis capillis cum Castrensi ex eo qværas per me licebit. Sed  
forte manus tuas evadet Tribonianus ablegando te ad Codicem,  
repetitæ prælectionis. Hic enim uti aliàs Pandectis derogat, ita  
videtur ibi Tribonianus cum Imperatore Alexandro in hæc verba  
rescribente: b) Legatum à patru relictum tibi, si filio ejus nup-  
siss, cum mortuo filio priusquam matrimonium cum eo contraheres,  
conditio defecerit, nulla ratione deberi tibi existimas, Pauli opinio-  
nem fuisse fecutus.

a) vide cap. 1. §. 7. b) l. 4. C. de cond. insert.

§. 35. De secundo usu fatis a) Tertiò Heredes extranei  
sub casuali pariter & potestativâ b) conditione possunt institui, sui  
non nisi sub potestativâ, c) de quo posteriori & sub qvâ scilicet  
conditione filius & alii sui heredes possint institui jam disquiren-  
dum erit. Questionem banc difficultem esse & materiam babere in  
qvâ qui plus sit plus dubitat, Bartoli d) effatum est. Sed aggref-  
sus candens jam fuit acutissimus Frantzkius e) ita tamen ut tan-  
tum de casualibus & potestativis fuerit sollicitus, reliquis condi-  
tionibus tacitis, in præteritum conceptis, impossibilibus & turpibus,  
omissis. Nos secundum dictum eorum, quæ haec tenus de con-  
ditionibus dicta fuerunt mentem nostram certis includemus po-  
sitionibus. I. Filius & alius suus heres poterit institui  
sub conditione quæ confertur in tempus præsens vel  
præteritum. Probamus ex Ulpiano f.) qui valere ait etiam in  
filio institutionem, si eum codicilliis heredem scripsi. Ratio patet ex  
iis qua supra g.) diximus.

a.) vide suprà §. 23. & 25. b.) l. 68. de hered. inst. c.) l. 86.  
eod. d.) ad l. 4. C. de inst. & subst. in pr. e.) ad l. Gal-  
lus. diss. 5. membr. 1. sect. 2. p. m. 325. seqq. f.) l. 10. §. 1.  
de cond. inst. g.) §. 3.

§. 36.

§. 36. II. Suus heres potest institui sub conditio-  
ne necessariâ. Ratio eadem, quæ in priori positione, quoniam  
hæc non est conditio a.)

a.) vid. d. § 3.

§. 37. III. Suus heres poterit institui sub condi-  
tione tacitâ. Fluit & hæc positio ex iis quæ supra a.) col-  
legimus.

a.) § 4. & 5. adde l. 86. de bered. inst.

§. 38. IV. Suus heres potest etiam institui sub  
conditione impossibili. Quia nec hæc est propriè dicta con-  
ditio a.) Dissentient Doctores communiter b.) partim quod con-  
ditio impossibilis non sit potestativa partim quod sub conditione  
turpi non possit filius institui. Sed ad ea partim ex dictis partim  
ex dicendis facile respondebimus.

a.) vide supra §. 8. & 9. conf. tamen infra §. 43. in fine, & su-  
prà §. 12. 13. 14. b.) vid. Cujac. ad l. 16. quæst. Papin. p. m.  
400. Dn. Struv. Ex. 33. ad Pand. tb. 49.

§. 39. V. Filius non potest institui sub condi-  
tione turpi. In hoc est prima differentia inter filium & extra-  
neum heredem. In extraneo remittebatur conditio ut in effectu  
idem esset, ac si hæc conditio non fuisset adjecta; a.) At in filio vi-  
tiat institutionem. *Filius qui fuit in potestate ait Papinianus b.)*  
*sub conditione scriptus heres, quam Senatus aut Princeps improbat,*  
*testamentum infirmat patris, ac si conditio non esset in ejus potestate.*  
Ratio igitur hujus positionis est, non quod haec conditions sint im-  
possibilis, ut male vulgo, c.) sed quod non sint potestativæ. De-  
pendet igitur ratio hujus à positione sequenti.

a.) vid. §. 15. seq. b.) l. 15. de cond. inst. c.) vid supra c. 16.

§. 40. VI. Filius potest institui sub conditio-  
ne potestativa non casuali. a.) Quam positionem distinctius  
considerabimus. Ratio illius in eo ponitur, quia si sub casuali li-  
ceret instituere, præteritus censeretur sine sua culpâ si conditio  
non existeret, atque ita testamentum faceret nullum. b.) Unde  
patet, cur concepta sit saltē de filio, non de omni herede suo,  
quia filii & nepotes si præteriti fuerint tēstamentum non facie-  
bant

bant nullum c.) Jure novo itaque quoniam & his præteritis testamentum nullum est, d.) procedet etiam regula de omnibus suis heredibus.

- a.) l. 4. de hered. inf. b.) Frantz. d.l. num. 14. pag. m. 327.  
c.) vide §. 2. d.) l. 4. in f. C. de lib. preter. §. 5. inf. de exher. lib.

§. 41. Quod autem dictum fuit suos heredes sub casuali conditione non posse institui, limitatur, nisi sub contrariâ conditione fuerint exhereditati a.) quod quidem Jure Institutionum & Codicis procedet, quippe quo testamentum subsistebat, si modo liberi non essent præteriti, sed aut instituti aut nominatim exhereditati b.) sed postquam in Novellis c.) disposuit Imperator, non licere in posterum liberos nisi ex causis ingratitudinis exheredare, ad quas conditio casualis referri non poterit, haud dubie ista limitatio fuit sublata.

- a.) l. 86. de hered. infit. l. 4. C. de infit. b.) §. 5. Infir. de exher. lib. l. 4. C. eod. tit. c.) Novell. n. 5. c. 3.

§. 42. Sed quid de conditione mixta dicemus? An & sub hâc valebit filii institutio? Ita certe, cum omnis potestativa sit mixta. a.) Non miraberis tamen quod Doctores communiter b.) asserunt contrarium, quia non potuerunt aliter, cum conditionem mixtam potestativa contradistinxerint. Sufficiat nobis, quod nullo textu probare queant, vitiosam fuisse filii institutionem sub mixta conditione factam. Provocatur equidem ad Constitutionem Alexandri c.) |Cum trans mare & longè te agentem sub hâc conditione heredem scriptum esse dicas, si in patriam quæ in Provinciâ Mauritaniae erat, regressus fuisses; nec exheredatum te alleges, si in eum locum non rediesses: manifestum est, multis casibus non voluntarius, sed fortuitis evenire potuisse, ut eam implere non posses, & ideo adire hereditatem non prohiberis. Sed ad hanc legem petemus responsionem ex móx d.) dicendis. Ex Pandectis quod hoc trahi posse, comprehendo quidem responsum Juliani e.) Si quis testamento hoc modo scriperit; filius meus, si Titium adoptaverit, heres esto, si non adoptaverit exheres esto, & filio parato adoptare, Titius nolit se arrogandum dare, erit filius heres, quasi expletâ conditione. Sed quemadmodum hic textus pro nobis non poterit adduci, quoniam

riam hic filius simul sub contraria conditione fuit exheredatus, ita tamen nec haec exhereditatio juvabit aliquid communem Doctorum sententiam, cum JCtus non doceat, eam fieri debuisse, sed ut factam saltem proponat.

- a.) per ea que diximus suprà §. 21. & 22. b.) vide ex pluribus Frantz. d. l. num. 13. & 23. Dn. Struv. Exerc. 33. tb. 46. c.) l. 4. C. de inst. & Subst. d.) §. seq. 43. e.) l. II. de cond. inst.

§. 43. Quoniam verò supra a.) diximus, omnem conditionem potestativam posse casualem fieri ex accidente, inde sequitur, filio sub conditione potestativa in instituto hactenus testamentum subsistere, sed quoad eventum distinguitur. Aut filius conditionem potestativam adimplere non vult, aut adimplere non potest. Priori casu patrem non facit intestatum, si coheredem habuerit, sed coheres totam hereditatem sibi vindicat. Quodsi nullum coheredem habeat, hereditatem repudiare censetur. Quodsi denique habeat substitutum & neque expressè voluntatem suam declarayerit de non implendâ conditione, & conditio tamen in ultimo mortis articulo possit adimpleri ut; si Titio decem dederit, demum mortuo eo ad patris hereditatem veniet substitutus. Si conditio non possit impleri in ultimo vitæ momento, ut: si Alexandram ierit, substitutus adhuc vivo eo succedet patri. Etsi enim videatur hoc casu in ultimo vitæ momento præteritus, hoc tamen lex non attendit, cum hoc fiat ex negligentiâ & culpâ filii instituti. Altero casu si filius, etiamsi velit, conditionem ante ultimum momentum non possit adimplere, vel impeditur factò hominis vel casu. Illo modo testamento locus est, quoniam conditio habetur pro impleta. b.) Hoc modo testamentum ex postfacto vitiarbitur. Atque hanc puto esse mentem Ulpiani, Juliani, Marcelli, atque Papiniani c.) quamvis paululum obscurius loquantur. Quin & in rescripto Alexandri d.) hanc rationem subesse arbitror, non quod conditio ibi recensita ab initio mixta fuerit, sed quod ex postfacto filius casu fuerit impeditus ne eam adimplere potuerit.

- a.) §. 21. b.) arg. d. l. II. de cond. inst. c.) l. 4. §. 6. de hered. inst. l. ult. de cond. inst. d.) l. 4. C. de inst. & Subst. vide §. præced.

CAP.

443

# CAPUT ULTIMUM.

Expositio Legis nostræ specialis ejusq[ue] Uſus  
modernus. Qvalis item sit Condicio, si se  
filium probaverit?

## S U M M A R I A.

**P**resupponendum Aurelium Claudio non fuisse ex concubina Lucii Titii natum th. 1. sed ex ejus uxore legitima. Rationes contra decisionem Pauli & cur testamentum Lucii subsistere debeat, sive matrimonium Lucii fuerit occultum th. 2. sive notorium th. 3. & quamcunque opinionem de Aurelio Claudio habuerit Lucius th. 4. Quid de probatione filiationis? Cti statuerint? th. 5. & 6. An quis verè probare possit se esse filium? Affirmatur contra Paleottum, thes. 7. & 8. Probatio & presumptio quomodo differant th. 8. Probationes filiationis pariunt presumptionem Juris tantum th. 9. Defenditur decisio Pauli & ostenditur, conditionem: Si se filium probaverit, non esse potest stativam, th. 10. II. 12. Respondetur ad argumenta sententiae contrariae th. 13. 14. & breviter ad aliorum explicationes legis nostræ, th. 15. deinde usus modernus dictæ legis defenditur th. 16. 17.

### §. 1.

**F**uerunt hæc præsupponenda tanquam hypotheses, antequam ad expositionem legis nostræ pergeremus. Jam igitur quaeritur, an valeat illa institutio quam Lucius Titius fecit: Aurelius Clavius natus ex illa muliere, si filium meum se esse judici probaverit heres mihi esto? Paulus statim respondit non valere. Nobis prius disquirendum videtur, quomodo ista verba: *natus ex illa muliere*, sint intelligenda. Vel enim illa mulier fuit concubina Lucii Titii vel fuit uxor legitima. Si concubina, nemo dubitare potest, quin institutio valeat, cum natu ex concubina non sint in potestate patris & adeò nec sui heredis nec extranei. Sive igitur hæc conditio sit potestativa, sive casuallis nulla causa subest cur testamentum Lucii Titii subsistere non debeat, cum heredes extranei, ut diximus, sub quacunque conditio-

tione possint institui. Quin & si vel maximè ista conditio pro impossibili habeatur, nec illud institutioni nocebit, quia conditio impossibilis, seipsum vitiat, non institutionem. Videtur verò Lucius Titius de ejusmodi feminâ sensisse, cum non dixerit: *natus ex uxore mea*; sed: *natus ex illa muliere*; quapropter mirari quis posset, cur Paulus absque distinctione praviâ decisionem statim ita formaverit, quasi ex quæstione satis confiterit, sermonem de eo esse, qui ex iusta uxore fuit natus.

§. 2. Dicere autem aliter non possumus, quam quod Paulus aliunde circumstantiam istam habuerit cognitam. Igitur ponamus jam, illam mulierem fuisse uxorem Lucii, quod præsupposuisse videtur Paulus. Annon & hoc casu valebit testamentum? Paulus respondit, filium de quo quæreretur, non sub ea conditione institutum videri, quæ in potestate ejus est, & ideo testamentum nullius esse momenti. Quid aīs Paule? Nullius momenti esse testamentum? Videris hac dixisse in somniis. Nam sive fingamus matrimonium fuisse clandestinum, sive, quod fuerit notorium, sive fingamus testatorem non agnovisse hunc pro filio, sive aliquatenus dubitasse, sive denique, eum Aurelium istum Claudium pro filio tractasse, ubique testamentum subsistere apparebit. Nam si clandestinum fuit coniugium, ut, si quis tantum paucis quibusdam scientibus uxorem liberorum procreandorum causa domi habuerit, a.) quod de Jure Civili noviori procedebat facile, b.) non poterat filius, utpoté qui tum non erat in quasi processione filiationis, aliter succedere patri ab intestato, & testamentum, si quod fecisset, infringere, nisi probasset, se filium defuncti esse, adeoque hoc respectu conditio tacite intereat, sub cuiusmodi conditione jam asservimus, posse institui filium. c.) Porrò & potestativa hoc casu erat conditio, cum filius nihil amplius hic probare deberet, quam matrimonium Lucio Titio cum matre sua intercessisse, d.) quod facile per vicinos & alios scientes facere poterat. e.)

a.) l. 9. C. de nupt. b.) vide Paleottum de Notbis & Spuritis cap. 5. n. 1. c.) vid. cap. 2. §. 37. d.) arg. l. 5. de injus vocatione l. 6. de bis qui Sui. e.) arg. d. l. 9. C. de nupt.

§. 3. Quodsi de matrimonio Lucii Titii cum matre Aurelia

relii Claudi publicè constabat, & ita filius erat in quasi possessione filiationis, nec hic ulla causa subesse videtur, cur testamentum nullius momenti esse debeat; quoniam & hoc respectu conditio ista pro tacita haberi debet. Nam etiam si non fuisse apposita, deberet tamen hoc filius probare si negaretur ab aliis esse filius, cum sit institutus ut filius, & si non probaret non admitteretur. a.) Nam qui se filium asserit debet probare filiationem etiam si in quasi possessione. b.) Porro & potestativa hic magis videtur ea conditio, quam in priori casu. Vel enim filius provocabit ad matrimonium patris cum matre; Atque hoc cum sit notorium, facilissime probari poterit; vel ad alias conjecturas, v. gr. quod à Lucio Titio pro filio fuerit habitus, cum ipsi alimenta præstiterit & eum educaverit, institueritque in testamento, quod ex communi famâ pro filio fuerit habitus. Quodsi autem dicere velimus, eum non opus habere probatione ulteriori, si de matrimonio iusto inter patrem & matrem constet c.) cum ipso jure ex præsumptione legum tutus sit, videtur hæc conditio: *Si se filium probaverit, referri debere ad necessarias, cum ferè æquipolleat ipsis: Si dixito cœlum non retigerit; Si cras erit dies Martis.* d.) At sub conditione necessaria etiam filii institutionem admisisimus. e.) Quin & si planè filio impossibilis foret hæc conditio, ut à pluribus venditatur, nec ex nostrâ hypothesi vitiabitur testamentum, quoniam & talem institutionem non nocere institutioni filiorum suprà f.) asseruimus.

- a) *Paulus de Castro ad l. nostram qvî provocat ad l. si pater l. nec apud & l. eam quam de hered, instit.* b) *vide Mafard. conclus. 787.* c) *arg. d. l. 5. de in jus voc. d. l. 6. de his qvî sūi.*  
d) *vide cap. 2. §. 3.* e) *d. cap. 2. §. 36.* f) *d. cap. 2. §. 38.*

§. 4. Qvod vero opinionem testatoris attinet & hæc valori testamenti non obstabit. Nam si Aurelium Claudiū pro filio suo agnovit, non est dubium qvîn eadem rationes pro testamenti valore militent, qyas haec tenus recensuimus. Qvod si non agnovit, qvod ex verbis institutionis videtur verisimile, quoniam instituit cum sub nomine proprio adjecta aliquâ demonstratione (si enim voluisset instituere, ut filium, dixisset: Aurelium Claudiū filium meum heredem instituo, si probaverit se filium meum esse) a) tamen nec hæc opinio testatoris potuit filii juri qvicquam detra-

detrahere aut conditionem mutare. Nam sicut non nudis asseverationibus, nec ementitâ professione, sed matrimonio legitimo concepti vel adoptione filii patri constituantur, b) & sicut falsa opinio patris aliquem pro filio habentis veritati non præjudicat; c) ita nec nuda asseveratione & multominus nuda opinione jus filiorum adimi potest. Eadem erit ratio, si vel maximè supponamus casum, quem subfuisse arbitratus est Menochius d) quamvis sine ratione prægnante; e) Illum Aurelium certo modo à testatore, fuisse creditum filium suum esse, sive modo ex fama, sive quod cum ejus matre consuetudinem habuisset, sive aliquâ alia ex causa.

a) vid. Menoch. de A. 7 Q. Lib. 2. cas. 89. n. 7. b) l. 14. C. de probat. c) l. 4. C. de hered. inst. d) d. l. n. 10. e) Afferit loco rationis Menochius Conditionem: Si se filium probaverit, unde vult inferre, dubitationem fuisse apud testatorem, an ejus esset filius vel non; Dubitationem autem provenire ex aequalitate rationum contrariarum. Sed ista conditio adjecta etiam pro priori casu argumento esse potest, testatorem planè pro filio non agnoscere Aurelium.

§. 5. Poterant hæc contrà decisionem Pauli afferri. Sed jam videamus etiam, quænam sint rationes, quæ Paulum in contrarium moverint, quid item hactenus objectis possit responderi. Anteqvam verò id fiat, pauca de probatione filiationis præmittenda erunt. Utī verò nostri instituti non est, ea omnia hic colligere, quæ abunde in hâc materia congesserunt Doctores, Menochius a) puta, Mascardus, b) Alciatus, c) Palæottus, d) & alii; ita saltem breviter excerptus sententias JCTorum Veterum & Imperatorum, retentis quantum fieri potest, ipsorum verbis, & tum ex iis summariter & quæsi per indicem quæstiones scopo nostro inservientes definiemus.

a) d. cas. 89. b) de probat. concl. 787--803. c) de presumt. reg. 3. presumt. 37. d) de notis & spuriis c. 22. & seqq.

§. 6. Igitur quæod jus filiationis ab initio distinxerunt JCTi inter matrem & patrem. Matrem semper certam esse, etiam si vulgo conceperit a) (aut, si de eo dubium oriatur rem facile expediti posse, si probentur ea, quæ Prætor in edicto de inspicioendo ventre tempore partus fieri debere jussit:) b) Patrem verò eum esse, quem

quem demonstrant nuptiae, c) unde & pro filio habendum esse eum, qui ex viro & uxore ejus nascitur, d) in tantum, ut et si mater de adulterio fuerit convicta, infanti id non praejudicet, cum possit & illa adultera esse & impubes defunctum patrem habuisse. e) Nec obstat, si neque nuptiales tabulae neque ad natos liberos pertinentes, confecta fuerint, modo vicinis vel aliis scientibus uxorem liberorum procreandorum causâ domi habuerit. f) Et si vero sententia contrâ matrem adulteram lata filio non praejudicet, g) maximum tamen praividicium afferre sententiam inter maritum & uxorem latam, si de eo actum fuerit an uxor ex eo pragnans sit nec ne. Si enim pro uxore pronunciatum fuerit, haberii filium, pro suo herede, et si suus non sit, quod si pro marito, non fore suum quamvis suus fuerit, nam eius rei judicium omnino jus facere. h) Porro in quaestione de statu filiationis grande praividicium afferre pro filio confessionem patris, i) sed & matris professionem, imo & avi recipiendas esse, k) haec tenus tamen ut per nudas has afferentationes & forte ementitas professiones praividicium non fiat veritati, l) admittere enim ejusmodi presumtiones probationem contrariam. m) Quin & eam quæ à matrimonio desumta fuit elidi posse, non solum ratione patris, si is forte diu & v. gr. per decennium fuerit absens, aut etiamsi cum uxore sua assidue fuerit moratus, si probari possit eum aliquamdiu cum uxore non concubuisse, infirmitate interveniente vel alia causa, aut si ea valetudine fuerit ut non potuerit generare; n) sed & respectu utriusque parentis, si ostensum fuerit, partum fuisse matri subditum o) &c.

- a) Paulus in l. 5. de ius voc. b) Ulp. l. 1. §. 10. de infsic. ventre.
- c) Paul. d. l. 5. d) Ulp. l. 6. de bis qui sui vel al. e) Papin. l. 11. §. 9. adl. Jul. de adulti. Praesumptionis hujus rationem item ampliationes & limitationes vide apud Mascalum concl. 789. n. 6. usq; ad num. 20. cum quo tamen omnino junge Nevizanum Sylv. nupt. lib. 1. n. 51. seqq. adversus rationes dictæ præsumptionis non male disputantem. f) Imp. Probus l. 9. C. de nupt. g) d. l. 11. §. 9. de adulti. h) Ulpianus l. 1. §. 16. in fine & l. 3. pr de agnosc. lib. ubi addit clausulam. Et ita Marcellus probat, eoque jure utimur. Addit Julianum l. 2. cod. i) Ulp. ex Juliano l. 1. §. 12. cod. k) Terentius Clemens l. 16. de probat. l) Dioclet.

*¶ Max.l.14.C. de probat. m) d.l.14.C. de probat.l. 15. ff.  
eod. n) Ulp.d.l. 6.de bis qui sui vel al. jur.sunt. o) Gord.  
l. 4.de hered.infis.*

§ 7. Ex dictis facile judicari potest quæstio : *An quis re-  
rè probare possit se esse filium suorum parentum?* Menochius a)  
distinguit probationem in necessariam, probabilem & præsumti-  
vam. Necessariam autem intelligi quoad solam matrem, ut quæ semper  
sit certa, probabilem quoad patrem, cum domi natus est filius, b)  
& præsumtivam quæ, conjecturis & præsumtionibus nitatur. Sed  
cum obscurum sit, quomodo differat probatio, quam probabilem  
vocat Menochius, à præsumtiva, inde paulo accurasier est distinctio  
Mascardi c) duplicem esse modum probandi filiationem, verum  
scilicet & præsumtum; verum quoad matrem regulariter, quamvis  
& hic aliquando præsumptus admitti debeat, d) præsumtivam vero  
probationem esse respectu Patris, cuius intuitu filatio non possit  
probari per probationem necessariò concludentem, sed per conje-  
cturas. Uterque tamen & Menochius e) & Mascardus f) casum  
aliquem extraordinarium admittunt, in quo vere & directè etiam ex  
parte patris filatio probari possit; si vir & mulier essent soli in-  
carceribus detenti sub diligentissimis custodibus, & ibi steterint  
per annum, post illumq[ue] foemina reperiretur prægnans, & testes cu-  
stodes deponerent, neminem alium ibi ingressum esse, nec ingredi po-  
tuisse, quin ipsi vidissent. Ast nec hic casus placet Palæotto g)  
quoniam & hic fortassis aerei quidam Daemones suspecti esse possent,  
prout de Danae & imbre aureo veteres Poetæ fabulati sint, forte  
& magica quædam præstigia, quorum vi clausas etiam obseratasque  
valvas nonnulli furtum ingressi sint, cum à nemine conspici pos-  
sent, nuncq[ue] pueros fascinasse, nunc cum alienis uxoribus congressi  
esse tradantur. Præterea se & hoc casu non videre, quomodo hac  
ad eo certa sumi debeat probatio, siquidem testes de eo saltem fi-  
dem faciant, neminem intrâ id tempus eò ingressum esse, ex  
quæ re sequeretur id quidem, necessario eum esse filii parentem.,  
qui cum puellâ moratus sit, sed tamen hanc probationem non  
principaliter natalium causam respicere, nihil enim testes de coitu,  
nihil de conceptione attestari, sed potius quibusdam rebus extrinse-  
cuis & per obliquum id docere.

2)

- 446 55.
- a) d. cas. 89. n. 2. Conf. Grot. de J. B. lib. 2. c. 7. §. 8. & ibi Magnif.  
Dn. Zieglerus. b) d. l. 6. de his qui sui vel al. c) conclus.  
788. n. 1. 2. 3. d) ibid. n. 8. e) d. cas. 89. n. 18. f) d. concl.  
788. n. 9. & 10. g) de notis & Spuris o. 21. n. 7. & 8.

§. 8. Sed ad hanc sciendum est: probationem quidem in se & presumtionem differre. Probatio à partibus fit judici. Præsumtio vel à lege oritur vel ab homine. Probatio facti est singularis sed præsumtio regula quædam communis, est æquitati conveniens. Præsumtio à probando liberat, sed probatio quændoque producit præsumtionem. Porro præsumtio communiter dividitur in præsumtionem juris quæ saltem à probatione liberat & juris & de jure, quæ nequidem contrariam probationem admittit. Probatio autem dividitur in inartificiale, quæ fit extrinsecus per testes & instrumenta, vel artificiale quæ fit per argumenta ex causâ negotii vel ejus circumstantiis desumpta. Utriusq[ue] hujus speciei meminit Imperator Alexander, a) & artificialis præterea quoq[ue] in aliis textibus fit mentio. b) Ulterius artificialis utitur vel argumentis necessariis, v. gr. coiyisse eam quæ peperit: non promissis Kalendis Januariis Lipsiæ qvi eo die fuit Romæ, &c. vel probabilibus & ex locis Topicis desumptis. Illa fidem in judice operatur & præsumptioni juris & de jure similis est, hanc opinionem saltem, & producit præsumptionem juris modo leviorum modo fortiorum. Ex his patet, probationem artificiale, quæ fit per argumenta necessaria, est nobilissimam probationis speciem, & magis tamē quam quæ fit per testes & instrumenta. Qualis cum sit illa quæ in isto speciali casu à Mascardo & Menochio fingitur, sequitur, regulariter quidem filium intuitu patris probari posse per probationem non inartificiale sed artificiale & quidem per argumenta saltem probabilitia, (quæ & ipsa tamen est vera probationis species quamvis analoga & ignobilior, ) at in isto casu speciali omnino locum habere probationem inartificiale necessariam & nobilissimam, & in eo visideri lapsum esse Palæottum, quod probationem saltem esse putaverit illam inartificiale cum testes immediate de negotio depoñunt. Quamvis autem Palæottus ibidem in dæmonibus & vi magicâ querat refugium, tamen hanc præternaturalia in Jure & tradendis probationum speciebus non consideramus. Nam alias

G

hoc

hoc pacto non solum omnes probationes artificiales necessariae corruerent, (ut si aliquis opponeret judici: v. gr. Hæc quidem dicitur peperisse, sed potuit Diabolus glaucoma facere ut ipsa revera partum non ediderit; ergo nondum probatum est quod coiverit) sed & omnes probationes inartificiales per testes & instrumenta. Posset enim & hic accidere ut testes à Diabolo fuerint decepti, aut instrumenta arte magica conscripta.

a.) l. 2. C. de testimoniis b.) vid. l. 19. C. de R. V. l. 21. & ult.  
C. de probat.

§. 9. Producunt igitur probationes artificiales in materia filiationis intuitu patris quidem præsumptionem, sed qualem? Distinguendum arbitramur. Sententiam inter maritum & uxorem latam, si de eo actum fuerit utrum uxor ex eo prægnans fuerit, & pro uxore pronunciatus sit, putamus efficere præsumptionem juris & de jure. a.) Reliquas vero coniecturas superius b.) adductas saltem præsumptionem juris operari statuimus, nec possumus aliter, tot legibus ibidem recensitis eo ducentibus. Neque eam excipimus, quæ ex justo matrimonio desumitur, ut adeò mirari latitatis nequeamus, quo pacto Doctores non pauci eò adduci potuerint, ut defenderint, eum qui ex marito & uxore natus est, præsumi filium mariti etiam per præsumptionem juris & de jure, c.) cuī sententia aperte contradicunt ea quæ docet Ulpianus, d.) cuius mentem & intentionem, si accurati inspexissent JCTi quidam excellentes, neque ex Ulpiano fecissent stultum alii, quod scripserit, placere sibi Juliani sententiam, neque pro excusatione eius alii violentas manus intulissent textui, aut responsiones longè quæsitas attulissent. Indigna sententia tam acuto JCTo, qualis Wissenbachius fuit, dum scriberet: e.) Jocari ibidem an nugari voluisse Ulpianum? Quis enim dubitet, an puer annulus possit esse filius ejus mariti, qui decem annos absfuit! Nisi uxorem fingas ex genere fuisse Elephantorum, quos vulgo dicunt in utero gestare annis decem: Alii igitur ut excusent Ulpianum, volunt, pro decennio legi debere biennio. Alii rationem dubitandi ex tractatu de agnoscendis & alegendis liberis arcescunt, ubi etiam Juliani similis sententia ab Ulpiano refertur f.) non reputantes videlicet istam materiam, ab eâ quam hic exponit Ulpianus, toto cœlo esse diversam, g.) Sed quid his

779 56

his ambagib⁹ est opus? Plana est sententia Ulpiani. Recenset initio regulam de præsumptione filii ex justo matrimonio nat⁹. Deinde quæstionem tractat: an adversus hanc præsumptionem admittatur probatio contraria? Julianus distinguebat: utrum maritus fuerit absens an verò cum uxore sit assiduè moratus. Priori casu præsumptionem istam per contrarias probationes vel etiam præsumptiones, qualis ista, si v. gr. maritus per deceinium absuerit, posse elidi, non verò casu posteriori. Hic Ulpianus prius membrum sententia Juliani sibi placere ait, in posteriori verò se à Juliano dissidere. Qualis ergo in hac doctrinā Ulpiani jocus aut nuga? Sed transeant ista.

- a.) arg. l. 1. §. ult. l. 2. & 3. pr. de agnosc. & alend. lib. conf.  
suprà §. 6. b.) d. §. 6. c.) vid. Masc. d. concl. 789. nume.  
35. & 36. d.) d. l. 6. de his qui sui e.) ad Pand. b. t.  
tb. 28. f.) l. 1. §. 14. de agnosc. & alendis liberis g.)  
conf. plura apud Feltmann. in comm. ad d. l. 6. Dn. Struv.  
Exerc. tb. 44.

§. 10. Revertor ad Paulum. Qui regulas bona interpretationis nequaquam prætergressus est, dum respondit, filium sub conditione, si se filium esse probaverit, heredem institutum, non sub conditione, quæ in potestate eius est, institutum videri, & ideo testamentum nullius esse momenti. Ut enim id quidem recte definitum fuit superius a.) opinionem testatoris de filio in huius casus decisione non attendi debere, sed perinde esse sive Lucius Titius Aurelium Claudium pro filio agnoverit, sive pro filio non habuerit, sive denique dubitaverit an eius filius sit; ita non potuit Paulus alter respondere, si ex coniecturis de voluntate defuncti rem dirimere voluit, ad quam in expositione ultimarum voluntatum potissimum respiciendum, quoniam in conditionibus primum locum voluntas defuncti obtinet, eaque regit conditiones, ut Ulpiani verbis b.) utar. Igitur pro diversitate casus, utrum scilicet matrimonium Lucii Titii cum matre Aurelii Claudii fuerit clandestinum an notorium, diversæ quoque voluntatis coniecturæ elicí possunt. Priori casu ea videtur fuisse mens defuncti: ut probaret Judici, quocunque modo posset, filiationem, & consequenter etiam, quoniam ut diximus fortissimus modus probandi de-

fumi poterat ex nuptiis patris, ut probaret Judici, matrimonium Lucio Titio cum matre sua intercessisse, & in hoc matrimonio esse genitum. Hanc conditionem Paulus pro potestativâ non habuit haud dubiè exinde. Cum omnis probatio sit actus quo mediante Judici fidem facimus super re dubiâ, c.) sequitur exinde, probationem quidem eiusmodi factum esse, quod à probante incipit, & haec tenus in eius potestate est, ut possit mediis ad fidem Judici faciendam uti & non uti, multum tamen non saltem ex post facto, sed ex naturâ suâ admixtum habet de casu fortuito; tūm si media concernas, tūm si Judicem ipsum cui fides facienda, respicias. Media quibus in probando utimur, sunt testes, instrumenta, & juramenti delatio, uti ex principiis constat. De juramenti delatione hic quidem solliciti non sumus, tūm quod apertum sit, in delatione juramenti medium vincendi causam transferri à defrente, in potestatem eius cui juramentum defertur, tūm quod Juramenti delatio rarissimè in probatione filiationis locum habere possit. At de testibus constat, non esse in potestate probantis, ut testes inveniat, tūm si invenerit, ut dicant, quod probanti conducit. Similiter casu contingit & fortuna, ut quis documentis ad probandum causam sit instructus. Denique etsi media probandi adfint non tamen ab arbitrio probantis dependet, ut testes & instrumenta Judici fidem faciant, sed hoc in arbitrio Judicis est sicutum. d.)

a.) hoc cap. 3. §. 4. b.) leg. 19. pr. de C. & D. c.) ita Dd. communiter ad tit. ff. & C. de probat. d.) vid. Brunnem. ad l. nostram 83.

§. II. Nec est quod dicas, ex dictis probari saltem, quod hæc conditio multum de casu habeat admixtum, & adeò mixta sit, non tamen quod casualis sit, aut quod non sit potestativa, (supra a.) enim diximus, mixtas conditions esse easdem cum potestatis.) Nam hic regerere licebit, conditionem hanc si quis probaverit non esse conditionem unam & simplicem, sed ex naturâ negotii b.) prægnantem hoc est plures conditions coniunctim comprehendentem & hoc modo v. g. resolvendam, si quis testes aut instrumenta habuerit, & eadem probationis loco addibuerit, & iisdem judici fidem fecerit. In hac resolutione prima & tertia merè casuales sunt, secunda saltem est potestativa. Unde simul facile alteri obiectioni

448 57

ctioni satisfieri potest, ex iis quæ in fine c.) capituli præcedentis docuimus, in pendentia esse institutionem filii sub conditione potestativâ vel mixta factam, cum tamen Paulus hic dicat, *nullius momenti esse testamentum citrâ distinctionem*, an probationem aggressus fuerit filius, & eam perficere ob deficientem mediorum fuerit impeditus an minus. Nam & hic respondeo, ea quæ suprà dicta sunt procedere in conditione potestativâ simplici aut certè tali, ubi impedimentum non fluit ex natura negotii, sed ex accidenti venit.

a) cap. 2 §. 21. b) dico ex natura negotii, ne quis mibi regerat, ex nostra doctrinâ omnes conditiones potestativas esse prægnantes adeoque sibi nullis licere filium instituere. v. gr. Has: Si quis Alexandriam ierit, si Titio decem dederit: resolvi posse: Si quis Alexandriam ire velit, & non impeditus fuerit, & Alexandria non interierit. Item si Titio decem dare voluerit, & decem habuerit & Titius decem acceptaverit. Nam bic respondeo, in dictis exemplis plures istas non inesse, è naturâ negotii, sed resolutionem fieri, secundum ea quæ per accidentem evenire possunt, vel certè ab initio non constare statim, quod sint casuales. Ita in cā si Titio decem dederit, naturâ quidem inest ista. Si decem habuerit, sed tamen non statim video, quod hec posterior sit casualis, cum regulariter presumatur aliquem tantillum pecunie habere. Non autem ita presumuntur me habere testes aut instrumenta. c) cap. 2. §. ult.

§. 12. Qvodsi autem matrimonium Lucii Tit. cum matre Aureliai Claudi fuit notorium, haud dubiè voluit testator, ut Aurelius Claudius aliis argumentis uteretur, pro demonstranda filiatione, cum notoria probatione non habeant opus, imò nec probari possint. At etiam hic eadem rationes, quas in casu præcedenti adduximus, faciunt, ut conditio non sit potestativâ; Quid quod magis in hoc casu res in arbitrio filii non est sita, quoniam conjecturæ reliquæ ex communi Doctorum observantia non tam fortiter filiationem probant, ut nuptiæ patris cum matre, adeoque arbitrium judicis hinc laxius est. a)

a) Conf. Mascard, concl. 790. seqq. Palæottum c. 22 seqq.

§. 13. Jam verò sponte suâ ruunt, quæ suprà coi tra Pau-  
li de-

li decisionem adduximus. Ut enim ex dictis patet, conditionem probationis minimè pro potestatiā haberi debere, ita falsum est quod afferebatur, a) conditionem *si se filium probaverit*, in eodē qvō non constaret an ex justo matrimonio genitus sit, esse conditionem tacitam. Tacitæ enim conditiones illæ sunt, qvæ necessariò præsupponuntur, etiamsi non fuérint adjectæ. b) At vero non est necesse ut qvis se filium pròbet patri ab intestato succedere gestiens, sed tum demum, si alter ipsi litem moverit, c) aut, si hæc responsio tibi non placeat, etiamsi demus, eum qvi ab intestato patri succedere vult probare debere quod sit filius, non tamen est id necesse, si filius à patre in testamento sit heres institutus. In nostro certè casu evidenter non est tacita. Qvis enim diceret. Aurelium Claudium, si ita institutus fuisset; *Aurelius Claudius natus ex illa muliere heres esto*, non anteā potuisse heredem fieri, qvam probasset, se esse Lucii Titii filium?

a) §. 2. b) conf. c. 2. §. 4. c) conf. Paulum de Castro ad. nostram 83.

§. 14. In altero casu: Si matrimonium Titii cum matre Claudii notorium fuisset, insuper objiciebatur: a) conditionem, hanc inter necessarias esse referendam, & æqvipollere isti, *si dixit cælum non tetigerit*, qvoniā tunc filius probatione non habeat opus, sed per præsumptionem legum tutus sit. Sed aperta ut puto inter conditions necessarias & istam conditionem est differentia. Necessaria conditio est, cuius contradictoria est impossibilis. Hic verò non impossibile erat, ut probaretur contrafrium: *Aurelium Claudium non fuisse Luci Titii filium*, qvoniā ut suprà b) ostendimus, præsumptiones in materia filiationis non sunt juris & de jure sed contrariae probationem admittunt. Deinde nec conditio: *Si se filium probaverit*, æqvipolleter isti: *Si à Lege pro filio presumetur*. Unde non poterit extraneus, si sub conditione probationis fuerit institutus, se liberare ab adimplectione conditionis dicendo, qvod probatione non habeat opus, qvia præsumptione tutus sit; præsumptio enim non est probatio, qvod latius ostendimus supra. c) Conditio verò omnis reguläriter in formâ specificâ adimpleri debet, non per æqvipollens. d)

a) su-

a) *suprà §. 3.* b) *suprà §. 9.* c) *§. 8.* d) *arg. l. 44. pr. l. 55.*  
de C. & D. l. 77. §. 4. de leg. 2.

§. 15. Atque hæc sunt quæ in expositione legis Paulianæ dicenda habuimus. Et plura quidem diximus quam ab initio dicere voluimus, non tamen ut puto, minus necessaria. Supersedemus autem jam prolixè aliorum opiniones examinare de hujus legis interpretatione, & præprimis Menochii, a) qui uti inter eos quos evolvimus, de ejus intellectu solus ferè plura attulit, ita videbatur multifariam censuram mereri ejus expositi. Sed non alia hic afferre possemus, quam ea quæ jam diximus. Unde & transeat, quod non pauci Doctores Glosam b) fecuti rationem legis nostræ eam esse dicant, quod probatio filiationis sit impossibilis. Nam & hujus assertionis contrarium suprà c) demonstravimus. Posles etiam ex Glosâ querere. Quid de hoc casu pronunciandum? *Aurelius Claudius filius meus heres esto, si probaverit Mevium sibi centum debere?* Fortè responderet Glosa, valere institutionem, quoniam probatio debiti, non est ita difficultis, ut probatio filiationis. At ex nostra decisione respondendum est, non valere, d) & adeò simul notanda ampliatio legis nostræ, quod non valeat institutio Filii sub conditione cuiuscunq[ue] rei probandæ.

a) *d. cas. 89.* b) *ad l. nostram 83.* c) *bic cap. 3. §. 8.* d) *per dicta §. 10.*

§. 16. Sed cui usui, inquies, tot chartæ folia his nugis maculasti? Senferit Paulus quod voluerit: Rectè definiverit casum sibi propositum an fecus: Quid id ad nos? Postquam jure noviori Justinianus constituit, valere testamentum, sub quacunq[ue] conditione filius fuerit institutus, sed non opus habere filium, ut conditiones adimpleat, vel eventum earundem expectet, verum statim possè relecta conditione hereditatem adire, usque tamen ad legitimam saltem. a) Ergo antiquas fabulas nobis recensuisti haecenus, diu abrogatas, & ita, quod in proverbio est, oleum perdidi & operam.

a) *per l. 30. 32. & 36. C. de inoff. testam. conf. Dn. Schilter. exerc 38. ad Pand. §. 98.*

§. 17. Apta est profectò hæc increpatio ad ruborem nobis excutiendum, præprimis si perpendamus quod Jason a) ait,  
com-

communem esse eam Sententiam (de abrogatione iuris veteris & à toto mundo observari, neque totum mundum ad adductas pro ea Justiniani constitutiones posse respondere. Sed timeat aut erubescat qui velit, nos certe larvam istam non timemus. Animus erigit, quod Frantzkius b) scribit, isti Jasonis & communis Sententiae idem accidisse quod multis aliis, quae sub autoritate communis opinonis tanquam legibus consentaneæ circumferuntur, ab illarum tamen rationibus nimis quam sunt remotæ. Igitur ne quidem expectes ut ad istas obiectiones respondeamus. Fecerunt id prolixè Frantzkius c) & Bachovius d) at quanti JurisConsulti ! Hos exscribere nolo, præprimis cum eorum synopsim exhibeat, quod in omnium manibus est, Syntagma Struvianum e),

a) in l. 4. C. de inst. & subſt. b) ad L. Gallus diſp. 5. Membr.  
2. ſect. 3. n. II. c) d. n. II. & mult. ſeqq. d) ad Trenti.  
Vol. 2. diſp. II. tb. 3. lib. d. e) Exerc. 33. tb. 47.

S. D. G.







Leipzig, Dissej 1686

ULB Halle  
005 300 908

3



K07



L6

# Farbkarte #13

B.I.G.



No. III

*Qvod Felix Faustumque sit!*

1686, 11. 9. 17  
422:

DISPUTATIONEM JURIDICAM

E FILIO, SUB  
CONDITIONE, SI SE  
LIUM PROBAVERIT,  
HEREDE INSTITUTO,

*l. Lucius 83. de Cond. & demonstr.*

SUB PRÆSIDIO

D. CHRISTIANI THOMASII,

Præceptoris sui venerandi,

publicè ventilandam  
proponit

PETER JOHANN Dehnsen/  
Guelpherbyt.

Autor.

Ad diem VIII. Aprilis MDCXXCVI.

H. L. Q. C.

LIPSIAE  
Literis JOHANNIS GEORGII.

KOENIGRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE